5.

DE TYPHO ABDOMINALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ARTEQUE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLVI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Eduardus Hagemann

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

E. STABEL, Med. Dd.

N. SIMROCK, Med. Dd.

C. DAUB, Med. Cand.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLVI.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D.r CARL EWALD HASSE,

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI CLINICI RECTORI HEIDELBERGENSIS, ARCHIDUCATUS BADARUM A CONSILIIS AULICIS INTIMIS,

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Typhum et Typhum quidem Abdominalem, quem ego tractandum in hacce dissertatione mihi proposui, apellamus morbum, de cuius natura — si verum dicere volumus — quamquam tot iam de illo cognoscendo dictum atque scriptum est, nihil fere certi scimus!

Nemo me vituperet, me paucis talibus verbis morbum definire velle, quum nunquam ausus sim, iuvenis, theorias permultas diversas a viris praestantibus atque in Medicina excellentibus constitutas, communi tamen usque adeo approbatione egentes, nec consignare, nec negare.

Difficile mehercle, inter medias contrarias partes aliquid certi proponere et aptum aliquid hodierno disciplinae statu de processu huius morbi dicere, deprimens certe res, medicos naturam morbi, qui saepius scilicet, quam optent in cuiusque visum veniat, ne definire quidem, sed ne de constituendis etiam formis, de generibus identibus, de morphologia anatomica aliquid certi proferre potuisse.

Quum autem mihi proposuerim: dicere aliquid de Typho Abdominali, theorias de Typho in genere omittam atque ad illam in specie formam, quam Ileotyphum, Typhum Abdominalem, Typhum Entericum, Dothienenteritim, Febrim Gastrico-Nervosam etc. medici apellaverunt transeam:

Typhi nomine prius symptomatum quendam statum et illum forsitan, quem nunc „nervosum" apellamus, definiebant, apellatur a Franco-Gallis „fièvre typhoide", quum illis „Typhus"

nomen sit morbi, in nullo certo loco positi, turbatos autem nervos sanguinisque decompositionem praebentis.

Huncce morbum, post annum MDCCCXX variis nominibus ante commemoratis apellatum, veteribus iam magna ex parte notum fuisse, multi medici sunt auctores, et ita quidem notum, ut iam de mesenterii affectu et ulceratione loquerentur.[1]) Fortassis febris nervoso-gastrica veterum nihil erat aliud, ac hic noster morbus.

Roederer primus et Wagler in nota illa morbi mucosi anni MDCCLXIII epidemia describenda atque post hos Louis certam coniunctionem inter commutationes membranae mucosae intestinalis morbumque, cui febri mucosae nomen est inditum, demonstraverunt — ut enarrat Canstatt. Tum autem, quum res multos per annos quaesivisset, Prost et Pommer, mutationem membranae mucosae quasi exanthematicam Typho semper inesse, fuerunt auctores, quos secutus Schoenlein, qui sub nomine Typhi in genere tres concepit formas: Typhum Abdominalem, Petechialem, Cerebrospinalem, rem magis magisque in lucem protraxit demonstranda sanguinis decompositione, membranae mucosae intestinalis enanthematica mutatione, — quum interea Galli sub C. Brousais regno in Typho nihil viderent, nisi Gastro-Enteritim usque ad tempus, quo Bretonneau formationes a statu physiologico dissidentes in mucosa cum exanthemate furunculoso comparare coepit.

Nostris tamen diebus opiniones et de origine et de oriundi occasionibus summopere inter se dissident, quum nonnulli atque in primis schola Gallica enteritim follicularem ac inde, contritis glandulis, pure in sanguinem resorpto, ortam intoxicationem sanguinis, plures alterationem primariam sanguinis ac dyscrasiam substituant, quam opinionem plerique Germaniae medici sunt secuti.

1) Gemma in epidemia MDLXXIV cum diarrhoea complicata describenda.
Lecat „ „ MDCCLIV describenda.
Darlue „ „ MDCCLV „ (Canstatt).

Paucis annis ante, quum apud nos pathologia regnabat humoralis, scholae Wiennensis caput, Rokitansky: nihil aliud esse Typhum, ac crasim quandam sanguinis, cui „typhosae" nomen dedit et quae, aut sine certo loco, aut in quodam[1]) corporis loco esset posita, iudicaverat, quae opinio nunc quidem a plurimis nec non ab auctore ipso relicta videtur.

Sin ego, quid de morbi causa principali existimem, dicam, magistrum doctissimum Hasse secutus, causam sanguini vel lymphae inesse, censeam, miasmaticam vel potius contagiosam, quae tamen in typho Abdominali semper in intestinali tractu locata sit ita, ut, utrum in sanguinis, an in intestinorum morborum numero Typhus sit ponendus, non constituam.

Loquendum nunc de miasmate et contagio Typhoso, quo loco equidem, medicos plures magnae auctoritatis secutus, etsi contagium certum adoptandum, tamen miasmaticam quoque causam interdum non negandam censeo, notae enim (sunt) permultae epidemiae, quibus non ortu certo morbus ab altero ad alterum pervagans, uno quasi haustu totum populum est agressus, quibus epidemiis non ii, qui aegrotos adiuvabant plerique sunt oppressi, quibus porro repentino fine morbus, nondum exhausto numero hominum, contagio typhoso praedae datorum, exstinctus est. Quod miasma forsitan concentratione quadam in contagium convertitur.

Sunt conditiones quaedam, quibus illud miasma tam constans producitur, ut morbi eruptionem certo quodam tempore praesagire liceat.

Ubicunque magna inopia, fames, mala belli, multorum in locis angustis, foetidis hominum conventus — ibi semper fere conditiones Typhi oriundi datae sunt.

Priores medici nostri saeculi, quum contagium nondum satis demonstratum esset, atque magnae, perniciosae epidemiae

1) Unde dictus: Ileotyphus, Pneumotyphus, etc. quae species forsitan nihil erant, nisi Bronchitis, aut Pneumonia gravis.

post pugnas, obsidiones, oppugnationes viderentur, miasmaticam causam solam praedicabant e materiis et animalibus et vegetabilibus putrefactis ortam, ac, quum saepenumero ad declarandum morbi originem (ea) non sufficeret, occasionum causas proferebant, quae tamen, quum omnibus in morbis inveniri possunt, saepe praesentes non producebant Typhum, absentes non prohibebant.

Contagium, prius non cognitum, nunc facile in omni fere Typho reperitur ea forsitan de causa, quia tempore, magna illa bella annorum MDCCCXIII et MDCCCXIV sequente, populus maximam in partem materia typhosa — ut ita dicam — satiatus, unde epidemiarum effectus tamquam exhaustus erat, dum nunc maior iam morbi capiendi facultas apparet. Contagiositatis non minimum documentum, quod, qui Typho semel sunt functi, rarissimi iterum ab eodem morbo comprehenduntur.

Contagiositatis theoriae in primis sunt auctores: apud Gallos Chandron, apud nos Hasse, qui tractanda Turicensi illa epidemia, disertissime hancce contagiositatem probavit, a quo utroque viro iam satis: Typhum morbum esse contagiosum, demonstratum est.

Etsi omnes contagii conditiones nondum satis notae sunt, tamen: aetatem hominum, aëris circumiecti sordes atque humores magni hac in re momenti esse, neque minoris: transpositionem hominum in alias sedes, invasiones bellicas, ignominiam, furorem, tristitiam, libidines alias ac cupidines, constat.

Praeterea effluviorum animalium cumulatio (ut cloacae, lacus stagnans, sepulcra) sine dubio contagio procreando favent, neque Typhum quibusdam regionibus maxime procreari ac quodam aëris statu[1]) produci, a nobis negari potest.

Contagio illo volatile atque ad distantiam efficace eo

1) Aerem humidum contagio Typhoso favere, illudque inprimis auctumnali et hiemali tempore produci Lombard et v. Hildenbrandt sunt auctores (Canstatt).

facilius inficimur, quo diutius eo oppositi sumus, quo magis (ab eo) in locis ventilatione ac munditie carentibus opprimimur, restat eo magis concentratum, quo debiliores, aegroti, inopia, vita ebria atque impudente perditi homines ei obiiciuntur, etsi saepe homines quoque robusti, quadrati, sobrii ab eo inficiantur.

Transfertur aegroti pulmonibus, dermate, secretis praesertim Convalescentiae periodo.

Typhum invenimus praecipue apud homines inter annos aetatis decimum quintum et quadragesimum, nunquam fere apud neonatos, raro ab anno aetatis secundo, rarius quoque post annum quadragesimum, etsi in annis: quinquagesimo, sexagesimo, septuagesimo etiam interdum repertus est. Genus, negotia, conditiones exteriores haud multum discriminis proferre videntur.

Utrum autem utrumque humanum genus aequaliter, an virile magis muliebri typho sit obiectum, non satis constat. Plures morborum status hominibus contra Typhum tutelae esse, atque eius eruptionem maiore vel minore gradu impedire, non dubitandum est, inter quos (status) iure Phthisim tuberculosam chronicam atque graviditatem sumpsit Rokitansky. Num in eorum numero Puerperium, morbi cordis ac mentis, Cyanosis, Cachexia Carcinomalosa, Epilepsia, Hydropes, Exanthemata diversa sint apellanda, quod affirmat Hammernjk; Jenner negat, equidem nec affirmarim nec negarim, lactationem mulieribus contra Typhum tutelae non esse, ducente Hasse, existimem.

Quibus statibus, Typhum excludere dictis, quum tamen erumpat, semper conditionem praebebit a norma discedentem, symptomatibus aut respiratoriis, aut nervosis praevalentibus, ita ut diagnosis fiat difficilior.

Plures status chronici, Typho dominante, exstinguuntur, plures contra (Scorbutus, Cachexia Mercurialis, Syphilis) eum praeparare videntur.

Alienos locis, Typhi endemicis, facilius a contagio opprimi ac incolas, mirandum non est, quum consideremus, alienos novis atque adeo inusitatis locis corpus cum maxima potentiarum alienarum numero conciliare debere, quibus omnibus (potentiis) resistendi facultas magnam in partem refringatur.

Observantur exempla, ubi virus Typhosum hominibus adhaerere videtur, in hisce ipsis morbum non gignens, ad alios vero transportatam verum Typhum procreans. Experientia constat, Typhum aliis locis petechiali, aliis abdominali forma indui malle, quam videmus exempli gratia Heidelbergae, Herbipoli, Monachii, Parisiis, Londini, Glasgaviae.

Typhus dummodo in corpore humano est apertus eodem modo, quo multa Exanthemata, non facile interrumpitur et aliquo tempore ei opus est, quo circulum quendam emetitur, de quo circulo eiusque studiis (erethici, exanthematici, tum depressionis, repristinationis) in describendis symptomatibus locuturus sum.

Describendis sanguinis, secretorum, excretorum mutationibus in seriorem pagellam reiectis, rationem commemorem morbo typhoso mutatam inter Oxygenium inhalandum, Acidumque carbonicum exspirandum. Homincs enim in Typhum implicatos minus oxygenium inhalare, minusque Acidum carbonicum exspirare, ac sanos, ita ut discrimen inter Acidum carbonicum valetudinis ac Typhi regnantis tempore exhalatum (summam) fere efficiat I %, Acidumque carbonicum exspiratum esse eo minus, quo gravior Typhus, Malcolm est auctor.

Ordine in conscribenda reliqua dissertatione utar ea, ut, commemorata genesi primum: anatomiam pathologicam, deinde symptomata, decursum atque exitus, diagnosim, prognosim exponam, denique therapiam disseram.

Anatomia pathologica.

Causa movens in circulo quodam per totum corpus agitur, priusquam in loco distincto posita videatur, quo in circulo, ut ante iam memoravi, prima mutatae sanguinis symptomata obviam nobis fiunt, de quibus nonnulla nunc sunt dicenda.

Multae de Typhoso sanguine animadversiones a diversis viris (Scherer, Buzzorini, Winter etc.) prolatae, ab aliis negantur, sicut, quid eorum constet, non dicam. Disquisitionem de hac re a viris excellentibus: Andral, Gavarret, Liebig accuratissime factarum ea fere summa:

I. Fibrinae partim absoluta, partim relativa diminutio inter dies morbi quintum et quartum decimum (a 0,31 ad 0,01).

II. Albuminii augmentum relativum.

III. Initio morbi maior, postea minor globorum sanguinis numerus;

IV. Sales anorganici, aucti;

V. Ammonium liberum in sanguine repertum:

quo salum auctu fibrinae facilior solutio atque diminutio, atque sanguis Typhosus ideo minus coagalatus atque ob eandem causam vasorum parietes magis dissolutae facilius permeabiles. Ammonium liberum sanguini oxygenium sumit, unde eius color mutatur; fibrina diminuta corpusculorum sanguinis augmentum relativum producit.

Post diem morbi quartum-decimum saepenumero res normales reperiuntur, quamvis interdum corpusculorum et albuminis diminutio, fibrinae augmentum remaneat.

Acmes tempore in cadaveribus multum sanguinem eumque austeriorem, tenaciorem, lentum, facile colorem amittentem, in corde vasisque magnis coagulationes gelatinosas invenimus.

Maximi momenti mutationes in mucosa intestinali sunt et semper fere illae in inferiore Ilei parte circum valvulam Bauhinianam concentratae.

In terno fere quoque Typho coeci, colique mucosa mutata apparet.

Mutationum metamorphosis in haec quattuor stadia distribui potest.

I. congestionis seu irritationis (stadium.)

II. eruptionis enanthematicae, seu infiltrationis Typhosae.

III. emollitae massae Typhosae, crustarum formationis ac solutionis, cui adtribuimus ulcerationis nomen.

IV. exituum ac repristinationis stadium.

Irritationis stadio in mucosa Ileï videmus dilatationem ac stasim apparatus venosi, vasa ipsa tnrgentia sanguinemque saepe dissolutum, tenuem continentia et mucosae quandam succulentiam coloremque canum.

Iam singuli loci, quibus glandulae Peyerianae [1]) sunt accumulatae, maiorem offerunt turgorem, neque minus mox post irritationem inceptam glandulae mesenteriales rerum fiunt participes, quum inveniantur tumescentia, vasis turgentibus, substantia austero colore tincta, eoque magis fiunt participes quo propriores ad Coecum sint.

Quod nonnulli dixerunt, in nonnullis Typhis glandulas mesenteriales manere intactas, Hasse negat.

Tota interdum mucosa hyperaemica ac Echymosibus obtecta (est). Infiltrationis Typhosae stadio nonnullae, quum Peyerianae, tum Brunnerianae glandulae massa recens-formata atque in ipsas disiecta tolluntur fiuntque prominentes (Plaques) Massa (earum) magis vel minus solida, candescens, adiposa,

1) Si verum est, quod obtinet Bruecke, Gerlach affirmat: glandulas Peyerianas esse lymphaticas, maximi forsitan ad cognoscendam Typhi naturam haec observatio est momenti, nec minimum meae sententiae sustentamen.

fragilis, lineïs peragrata sanguinolentis; (sub) microscopio adspectum apparat amorphum granulatum colorem inter flavum nigrumque (medium); Ammonio adiiciendo fit perlucida, Acido acetico pallida, Ammonio, Kali caustico solubilis, cellulas interdum irregulares (diametro $^1/_{300}$—$^1/_{400}$''') granulaque adiposa (diametro $^1/_{200}$—$^1/_{800}$''') continere solet.

Quisquis glandularum ita mutatarum plexus corona vasorum circumdatus est atque mucosa obtectus, quae perdito aspectu villoso, colorem praebet lividum, austeriorem. Inter quos Peycrianarum glandularum plexus formae magis ellipticae nonnulli quoque rotundi, nodosi tori folliculorum solitariorum infiltratione formati inveniuntur, quorum cumulorum numerus inter unum et trigenta variari potest.

Raros in intestino tenui glandularum cumulos videmus intactos, Coli dispersae tantum Lenticulares glandulae plerumque in morbum involvuntur.

Massa Typhosa posita, varietates discernendae tres:

I. interdum multum exsudatum, ita ut glandulae valde promineant atque funginae, sublatae appareant, colore rubro, tumore spongioso, (in) mucosa circumiecta sanguine plerumque disiecto.

II. exsudatum non ita amplum, quod ad emolliendum tendit, colore rubro, superficie reticulata

III. exsudatum minus tumescens, solidum autem firmumque, satis planum, margine acuto, colore opaco.

Apellatae sunt hae tres formae.

Plaques molles.
„ réticulés.
„ dures.

Fine huius septem dierum periodo tertium incipit stadium emollientis massae Typhosae, crustarumque formandarum, quod Typho non necessarium (esse) Andral et Bretonneau ostenderunt, quum obtinerent: in Typho Abdominali, exsudato posito sanationem sine ulceratione crustarumque formatione, sola resorptione produci posse.

Glandularum cumuli, exsudati pleni, paullum emolliuntur et media glandulae parte recedente, mucosa initio in medio loco soluta mox ad Peripheriam solvitur, qua metamorphosi saepe plures cumulorum partes simul funguntur.

Conversum nunc (est) exsudatum Typhosum in massam medullarem, mollem et fluidam, subrubram vel opacam atque haecce mox in crustas faeculentas, virides, flavas vel fuscas, quae, sensim a margine complectente recedentes, marcidae factae, tandem a textu-cellulari submucoso solvuntur.

Interdum exsudatum in formationem mollem, vasculosam lividam, fungosam degenerat (Heusinger), quod ipsum profusae haemorrhagiae intestinalis causa fieri solet et saepe minutatim, nullis formatis crustis, solvitur.

Glandularum Solitariarum correptarum eaedem fere mutationes, quae paullo seriores venire, lentiores transire videntur, crustis parvis rotundisque.

Crustarum formatio, supra memoratarum, in primis (in) ea exsudationis forma, cui nomen „Plaques dures“ datum est, invenitur, (in) altera forma: „Plaques réticulées“ exsudatum prius emollescit, parenchymate non dissoluto, unde aspectus ille reticulatus, (in) tertia: „Plaques molles“ celera exsudati dissolutio, ita ut substantia minuta videatur.

Qua cum glandularum mutatione plerumque vasorum in Ileo hyperaemia coniuncta est. Invenimus praecipue vasa mesenterii venosa sanguine turgentia, eodemque modo mucosam villosque turgescentes.

Colon, meteorismo quodam inflatum, variam gyrorum multitudinem praebet; iis locis, quibus laxissimum alligatum est, mutatus (est) Coli situs, dum aut in profundo Hypogastrio, aut ante ventriculum positum, aut interdum in pelvim relapsum esse potest.

Memoria dignum est, ipsum eodem modo crassiores habere parietes, quo magis Meteorismo inflatum est.

In glandulis Meseraicis similes mutationes, quam quarum in Peyerianis tractandis mentio est facta, quibus mutationibus eae glandulae maxime àfficiuntur, quae prope portam Bauhinianam, iacent; glandulae, initio lividae, varicosis vasis turgentes mox in massam opacam, solutam convertuntur, in qua haud rara magna sanguinis extravasàta reperiuntur.

Tertium hoc stadium per duodecim vel quattuordecim dies manere solet, quo tempore locis, ubi crustae reiectae sunt, mucosae diminuta substantia remanet, cui nomen ulceris intestini typhosi dàtum est, cuius ulceris forma, magnitudo, situs plane Typhosae infiltrationi, qualis ante erat, respondet. Forma est elliptica, rotunda aut irregularis, sinuata, ambitus a gruti magnitudine ad thalerum, longiore diametro ulceris cum axe longitudinali intestinali congruente; nunquam ulceris forma cinguli visa est.

Ulcera quoque inveniuntur, quorum diametros longitudinalis in transversa intestinali iacet, quae in primis intestinum perforare, Vierordt est auctor, quum iure, transversali intestinali destructione praecipue ulceris ad peritonaeum extensionem iuvari dicit; ulceris basis magis vel minus rubra, saepius striata, glabra aut paullum tuberosa, serius pallescere coloremque subflavum assumere coepit.

Ulceris margo acre mucosae margine, lineae latitudinem raro excedente, libero, subcavato, ulceris planitiei non assidente, in aqua fluctuante, livido, serius ravo vel nigro formatur. Crustas, interdum villosas hirsutasque pro glandularum vertice prominentes nonnulli materiam (esse) faecalem inspissatam, immerito praedicaverunt.

Stadii quarti denique, reparationis, nullum certum tempus constat, tum priore sanatione, tum ulceratione per plura hebdomata permanente, quin ulcus etiam dyscraticum constitui, ipsumque postea intestinum perforare potest.

Crustis deiectis, emolliendi tempore finito, substantiae diminutio, iam supra memorata, apparet, initio accurate termi-

nata, ita ut in basi fibrae transversae tunicae muscularis visui pateant, quae diminutio postea partibus circumdantibus magis magisque se contrahentibus, maiore ex parte aufertur, quibus factis, reparatio ita videri solet, ut mucosae margines colorem sumant rutilum aut cineraceum et sanguinis iniectio, ulceris margine ubique contracto, prope locum prioris ulcerationis ordiatur, dum mucosa hoc ipso loco tenuis, perlucida, glabra, plicis villisque egens remanet.

Stratura gelatinosa, massam continens cicatricosam, formatur simillima saepe serius mucosae ipsa, sed quae ab ea discerni possit.

Magna exsudati positi pars resorbitur praesertim, quae in superiore Ileo erat posita et illa, multis novis vasis in intestino factis.

Ileum, quum adspiciamus adducta luce, magnum vasorum tenerorum numerum ostendit.

Postea, gelatinosa illa massa ablata, visus glandulae vietus et norma solidior, dum mucosa circumiecta novorum vasorum iniectione rubescit.

Intestini adspectus striati, serosae haud magna iniectio. Quo reparationis actu interdum perforatio ingruit, si turbulentiorem aut parum efficacem reparatio se habet, quum aut muscularis ulceratione obeat secundaria, peritoniti perforativa cum celera morte sequente, (quae perforatio rarissimo adhaesionibus novis protegitur) aut simplex adynamica maceratio cum magno virium collapsu se ostendat.

Commemoranda quoque est illa opinio a Chomel et Schoenlein proposita, ulceris intestinalis Typhosi cicatricem granulatione fieri posse.

Glandularum Meseraicarum simillimae mutationes, quae, quum non solum coeco proximae, sed etiam remotiores glandulae (morbo) afficiantur: processum Typhosum, atque, quae morbus gignit, usque ad mesenterii glandulas lymphaticas produci, satis demonstrant (Oppolzer.)

Exsudatum in iis positum semper fere resorbitur, glandulae sensim laxiores, molliores, planiores factae colorem servant canum.

Suppuratio interdum conspicua nihil aliud est, ac massa illa in molecula dilapsa, quae tamen tum glandulam in abscessum vertere atque dirumpere potest.

Vulgo glandulam in massam caseosam, calci similem, conversam videmus.

Mutationes organorum abdominis contemplandae adhuc eae:

I. Lienis, quod in omnibus aegrotis morbi initio ad duplicem, quin quadruplicem amplificatur ambitum, margine magis rotundato, capsula extensa, stricta.

Lienis parenchyma marcidum, pulticulae simile, colore inter nigrum rubrumque medio, interdum fere diffluens, ita ut sua sponte dirumpi possit; mutationum summa inter diem morbi quartum-decimum et vicesimum-primum, quibus finitis, lien sensim reparatur et ita quidem (reparatur), ut postea atrophicum videri possit.

Exsudationes interdum fibrinosae, cuneïformes in liene inveniuntur magnitudine fabae, colore flavo (Oppolzer, Rokitansky, Vierordt) quas basim semper ad peripheriam lienis applicare Oppolzer memoriae tradidit.

Huncce lienis turgorem a turgore, Intermittente febri effecto, ita discerni, ut ille colorem habeat fere nigrum atque adeo, ut in pulticulam spissam possis (idem) convertere, emollescat, hic fuscum habeat colorem atque solidum quendam statum, Traube est auctor.

II. Hepar raro turgens, laxum, pallidum, sanguine egens, cultore incisum siccam apparans planitiem, interdum summa mollitie est praeditum.

III. Bilis in ductibus; hepatico et choledocho ac in vesica fellea reperta liquida, larga, colore flavo vel viride est, dum aucta est aquae copia, adeps tum auctum, tum diminutum, Natrum Choloideum diminutum.

IV. Ventriculi mutationes minoris momenti, interdum plane nullae, putore saepe cadaveroso solo productae, mucosa interdum pallida, aut rubra, cineracea, flava. Ventriculi venae varicosae apparent, in sacco coeco stasim saepe invenimus venosam, mucosam rubram, mollem et quae facile dirumpi possit. Ulcerationes in ventriculi mucosa rarissimae, multae autem catarrhales hyperaemiae reperiuntur, fundus saepe maceratus, quae maceratio ad oesophagum usque progredi potest. In faucibus, tonsillis, Epiglottide, Larynge exsudatum quoddam diphteriticum, aut erosiones certe atque ulcerationes conspicuae fieri solent.

V. Glandulae pancreaticae nullae graviores mutationes.

VI. In renibus, aut nonnulli circumscripti, interstitiales foci inflammatorii, qui in pus dilabi possunt, aut Hyperaemia, fibrinaeque coagulationes, quales morbi Brightiani primordiis videri solent, quae, si inveniuntur, facile Albuminuriam efficiunt atque quibus extremitatum Oedema, Hydrothorax, Oedema pulmonum et glottidis produci potest.

Memoriae dignae porro sunt systematis respiratorii mutationes posteriore morbi stadio, quae adeo graves interdum se gerunt, ut prae intestinalibus symptomatibus animadvertantur.

Mucosa bronchialis colore nigricante vel fusco tincta est atque eo magis (tincta), quo profundius in parvos Bronchiorum ramos mutationes descendant, simul pituita permulta, tenax, gelatinosa, conglomerata, aut fluida sordida, spumans, sanguinolenta (quem rerum statum Oedema pulmonum appellaverunt) invenitur.

Posteriore inferiore pulmonum parte Hyperaemia, quae inferiorum partium condensationem maiusque pondus efficit (quem statum Splenisationem Typhosam apellaverunt.)

Pulmones gangraenosae non saepe repertae, in Pleuris saepius exsudatum diffluens plerumque rubrum, raro purulen-

tum, in peritonaeo contra ac pericardio rarissimum exsudatum diffusum.

Fluida, omne fere posteriore autopsia in omnibus cavis serosis reperta, priore (autopsia) non adesse videntur, ita ut putori cadaveroso tribuenda videantur.

Substantia cordis, saepenumero nullo modo a norma diversa, interdum colore sordido, flavo vel pallido (distincta), saepe mollis, laxa et quae digiti impressione perforari potest; serosa vehemente modo sanguinis dissolutione sanguine repertur plena, parietes interdiu extensae, tenues.

Cerebri, medullaeque spinalis, et meningum praeter hyperaemiam quandam levem, spissitás quaedam satis notabilis ac tenacitas; nonnulli tamen, (Oppolzer etc.) cerebrum mollius fieri, obtinent.

Nervorum vaginae magis vel minus sanguine repletae, sordidae, cerasinae, quin interdum fere nigrae; nervorum pulpa mollior aut firmior est norma.

Semper fere pondus cerebri, sive durioris, sive norma mollioris, auctum videtur.

Memoriae dignae sunt mutationes pori acustici interioris, a Pappenheim celebratae, quae auris tarditatem, saepissime in Typho notatam efficere dicuntur.

Reiecta dura-matre ossis petrosi superficies per partes livida praesertim, ubi os est dissectum, perspicua est.

Membrana tympani sine splendore, nec quoque perlucida, magis vel minus rubra ct inspissata videtur, dum rubor maiorem etiam pori acustici exterioris partem amplectans, inter vasa sanguine repleta, interdum parvás ecchymosese fácit conspicuas.

Cavitatis tympani parietes tenace pituita sunt repletae, nec minus cellulae, et quae post cavitatem, et in tuba Eustachiana sunt positae. Labyrinthi mutationes haud perspicuae, nisi huc nonnullae ecchymoses in tunica canaliculos ac helicem obtegente, sint sumendae, catarrhus fortassis mu-

cosae auriculi interioris, qui autem, conditionibus iuvantibus, in inflammationem, suppurationem, destructionem (auriculi) transire potest.

Tumorum parotidum causa stasis inflammatoria atque in ipsa glandula exsudatio esse videtur, qua re textus glandulae, amissa forma lobulari, erubescit ac fluido albescente, cui corpuscula insunt purulentia, quando ad suppurationem redigatur glandula, perfunditur.

Interea glandulae interiores ductus rubri, magnâ ex parte liquoris sanguinei pleni, interdum etiâm praeclusi. Plerumque, suppuratione procedente, abscessus inveniuntur plures parotidis, postea in unum convenientes, quo constituto, in glandulae ductu multum invenimus pus, mucosam, quae orificium circumdât, rubram, turgescentem.

Venarum parotidi propinquârum inflammatio, venarum cerebralium saepe obliteratio, unde recessus sanguinis e cerebro impeditus, qui sanguinis in interius cranium extravasatum proferre potest.

Integumentorum cutaneorum apud homines morbi âcme prostrâtis, magnus rigor, color subflâvus; permultae in dorso petechiae, mortis maculae, apellâtae, apud homines seriore morbi tempore defunctos, sanguinis celerrimus putor, magna macies âc collapsus.

Reliquum est, dicere aliquid de fâecium, urinâe compositione, cuius, quiâ accurâtius requirenda videtur, in conscribendis symptomatibus mentionem fâciam.

I n v â g i n â t i o n e s interdum et in ieiuno ileoque et in colo post âutopsiâm factam inveniri, notum est.

Non mirândum mehercle, â multis iam interrogatum esse: num ex mutâtionibus in mortuorum corporibus repertis, ad typhosorum stadiorum tempus concludere liceât, nec âd tempus solum, sed âd successionem, decursum, epidemiâe omnino genium.

Quâ in re, quâmquâm ânimadversiones summopere laudandae notae sunt virorum Vierordt et Engel, quorum primus

statu-eiusdem temporis-lienis sanguinis, glandularum meseraicarum spectando, utrum stadio incrementi, an decrementi sit morbus, discerni posse, dixit, quum infiltrationis ac crustarum formandarum stadio sanguis maxime egeat fibrina, simul lien sit maximum, mollissimum, summus glandularum Meseraicarum turgor, secundus: epedemiae acme mutationes mucosae intestinalis semper fere in infiltrationis et incrustationis, quum propius iam ad finem vergat illa, in ulcerationis stadio reperiri, dicat, hodierno tamen Medicinae statu nihil digni dandum videtur. Celebrandi nihilosecius hi viri, qui rerum tam gravium difficiliumque explicationem, operis difficultate minime repulsi, theoriis acutissimis proponendis, dare sunt ausi!

Anatomiae pathologicae illam adnectam commentationem a Dr. Coel. Schmieder[1]) scriptam (contemplandam), qua sectiones sexaginta-tres hominum, Typho vita privatorum, inter annos MDCCCL et MDCCCLV in instituto clinico Lipsiensi rectore Wunderlich factae sunt et ita factae, ut semper fere intrà vigenti-octo post mortem horas, nunquam ultra horam trigesimam quartam autopsia ordiatur, qua—ut dixi—sectiones illas sexaginta tres, quoad intestinum, glandulas meseraicas, splen comparat.

Longitudo partis intestini, Typhosis mutationibus notabilis, summopere variabat et ita variabat, ut inter quinquaginta septem Typhos affectus a valvula ileocoecali ad Ileum adscenderet spatio maiore 3′ sedecies, 1—3′ vicesies et quater, minore 1′ decies et septies, maiore 6′ semel modo, dum per totum Ileum glandulae Peyerianae ac plurimi Solitarii folliculi partim exsudato infiltrati, partim incrustati, aut in ulcera conversi inveniebantur. Commutatus in intestino tenui apparebat: textus submucosus totus a libero valvulae Bauhinianae margine ad plures sursum digitos (vicesies et quater); mutatae semper glandulae Peyerianae ac solitariae.

Submucosi textus—Ileï finibus—infiltratio notabatur diffusa, saepius a valvulae margine incipiens, valvulae planitim magis

1) Archiv für physiologische Heilkunde. Heft 4. S. 523 etc.

vel minus obducens, inde 1—6″ sursum propagata, quae ultra septimum hebdoma nondum, summa hebdomate secundo et tertio est inventa.

Glandulae Peyerianae ac Solitariae in omnibus sexaginta tribus Typhis semper fere morbo erant affectae atque bis modo plexus unus, et ille omnium infimus, affectus est visus.

Glandulae Lieberkuehnianae — contra—rarae Typho vehementer affectae videntur, acsem el modo plurimae tumescentes inveniebantur.

Coli Typhosa infiltratio inter sexaginto-tres Typhos notabatur decies et novies et hebdomate quidem:

II.	bis	inter	14	Typhos.
III.	sexies	„	23	„
IV.	quater	„	15	„
V.	septies	„	11	„

Quae res anomala (sc. infiltratio) in Coecum [1]) aut primos IV—VIII Coli-adscendentis digitos saepius, ad rectum usque ter, in Colon transversum semel transiit.

Parvae mucosae intestinalis hyperaemiae saepissimae reperiebantur, aut mucosa diffuso sanguine repleta, aut singulas glandulae infiltrationes obtegente, aut circum singulas infiltrationes, crustas, ulcera.

Interdum parvae intestinales haemorrhagiae, ecchymoses, in glandulae parenchymate aut textu submucoso parvae sugillationes, crustae sanguinis plenae, rariores Ileï hyperaemiae diffusae, quae quinquies (quum die 11, 14, 28, 33, 24 aegrotus obierit) a Schmieder sunt notatae.

Sanguis liber in tractum intestinalem diffusus quinquies. Perforationes Ileï quinque, infimi Ileï tres, Coli duae, perforatio intestino tenui imminens bis, quibus omnibus thesem illam: ulceris Typhosi perforantis intestinalis sedem esse intra plexum. Peyerianum et 6—12″ sursum (supra valvulam Bauhini) demonstrari, videmus.

1) In quo saepenumero Trichocephalum invenimus Disparem.

Glandulae Meseraicae, dum saepius quoad numerum et extensionem eodem modo Typho sunt affectae, quo intestinales, saepe tamen modo valde diverso in morbum apparent involutae, sic ut a glandularum Meseraicarum ad intestinalium statum ac vice versa, stricta via concludere non liceat.

Semper fere glandulae Meseraicae infimi Ileï intumescunt, tum adnexo intestino proximae, quum remotiores, quae certo ordine dispositae, duas, plures tumorum series praebere possunt.

Glandularum ambitus tumescentium plerumque est fabae, magis vel minus magnae, amygdali, nucis avellanae, interdum etiam nucis iuglandis, aut hippocastani. Qui ambitus quarto fimito morbi hebdomate, iam satis diminui solet.

Lienis ambitus (in) duplum triplum reperitur auctus et ita quidem auctus, ut maximus sit tertio hebdomate, qui (ambitus) eo maior, quo affectus intestinalis maior, interdun pro rata parte valde adhuc auctos videtur, dum glandula ipsa iam in ulcerationis est stadio.

Maximum lien Typhosum se in aegroto, die morbi vicesimo sexto mortuo, invenisse et illum cerasorum nigrorum colore, parenchymate valde succulento et laxo, capsula rugata, Schmieder tradit.

Lienis color semper fere austerus, consistentia varia [1]).

Lienis Infarcta bis animadversa, quorum alterum flavum nucis iuglandis magnitudine, lienis longitudine 6″, latitudine 4″;
alterum avellanae, „ „ „ 4″, „ 3″.

Lienis Infiltrata bis notata, quorum unum in aegroto qui, per Decubitum, Pyaemia affectus, die morbi sexagesimo sexto mortem obiit.

1) Dunkelviolett, dunkelkirschbraun, braunroth, dunkelviolettbraun, schmutzig-kirschfarben, schwarzroth (Schmieder.)
Fest, derb, mürb, morsch, schlaff, leicht zerreissbar, breiig weich, matsch. (Schmieder.)

Symptomata.

DECURSUS. EXITUS.

In morbi praemordiis fere semper adest stadium prodromorum, diutius vel brevius, quod initium morbi ipsius sequitur, plerumque frigore, statim aegrotos prosternente, significatum. Vulgo per primum hebdoma symptomata febrilia prominentia videmus, per secundum, perdurante febri, vehementem abdominis affectum et magnum nervorum consensum, quae omnia symptomata, tum eadem vehementia manentia, tum paullum recedentia per totum illud hebdoma, partim etiam per tertium sunt perspicua, usque ad quarti hebdomatis initium, ubi convalescentia exspectari potest.

Haec normalis decursus imago tam saepe, rebus aliis intervenientibus, mutatur, ut multas conditiones a norma recedentes postea singulas commemorandas censeam.

Videmus prodromiali stadio symptomata (ea):

Capitis dolorem magis vel minus vehementem, quiete nocturna pleraque sublata, motum febrilem, frequentem pulsum, ciborum-appetentiam diminutam, sitim magnam, defaecationem irregularem; aegrotorum, repletum ipsis esse ventriculum, dicentium nuchae ac lumborum extremitatumque dolorum audimus querelas; sanguis apud multos pro naribus apparet profluens, mulierum ante tempus consuetum menses et illi norma profusiores. (Hasse et Wunderlich)

Omnino aegrotorum animus depressus, visus tristis, molestiae, fastidium, vomitus.

Genio epidemico regnante, magnus hominum numerus incertis hisce valetudinis (bonae) turbationibus afficitur, quarum causa fortassis sanguinis communis mutatio erit, quae

quidem abortu exstingui potest, contra in singulis tam occulta sunt Typhosa symptomata, ut repentina morte homines, qui paullo ante labores graves suscipere sunt ausi[1]), saepenumero obire videamus.

Nunc ad aperti morbi imaginem describendam transeam quam, modum, in stadia Typhi discernendi, iam prius adoptatum, secutus, ita demonstrabo, ut symptomatum quoque stadia proferam quattuor:

I. (Stadium) irritationis gastricae spatio trium vel quattuor dierum.

II. (Stadium) eruptionis in intestino trium dierum, quod utrumque primam morbi periodum comprehendit.

III. Stadium producti Typhosi positi et ulcerationis, seu nervosum, propter symptomata nervosa tunc praevalentia sic apellatum, duplex VII dierum spatium complectens.

IV. Stadium reparationis, incertum dierum numerum continens, a die vicesimo secundo plerumque incipiens, quod a multis in Crisium ac convalescentiae stadium est divisum.

A. Stadium primum seu irritationis:

Lingua magis vel minus albo stratu obducta, saepe apice margineque rubra, gustus alienatus, plerumque pituitosus aut amarus, in faucibus pituita ac sputa tenacia glutinosa; ciborum appetentia deficit, satietas saepe ac vomitus materiae pituitosae, acidae, aut biliosae, abdomen satis extensum, molle tamen, nondum doloribus regionis Ileocaecalis affectum, postea dolores regionis epigastricae obtusi, terebrantes, quos gangliorum dolores interpretavit Schoenlein, quos epigastricae regionis horizontali compressione augemus.

Defaecatio primis morbi diebus retenta (quae retentio

1) Ein nicht selten zu beobachtendes Verhalten ist es, dass beim Typhus, auch nachdem die Krankheit offenbar schon bedeutende Fortschritte gemacht hat, zuweilen noch einige Zeit lang nicht unbeträchtliche Anstrengungen ausgehalten werden können etc. (Wunderlich.)

per totum morbum manere potest). Sordes raro fluidae doloresque colicae Typhi apertum initium paullulo antecedunt, diarrhoea saepius sub primi hebdomatis finem invenitur.

Aegrotorum simul magna defatigato, artium lythargyreum quoddam pondus, capitis vertigo, sic ut aegroti, ubi sunt erecti, omnia se circum ipsos torsa adspicere, dicant; incessus — ut ebrii — titubans, quibus accedit dolor occipitis satis vehemens, gravis, obstupefaciens, tempora saepe, quin totum cranium occupans, qui exacerbationibus fit gravior, aegroti facies est somnolenti, bulbus (oculi) vasis repletus, maior lucis, sonorum sensibilitas, aurium-sonitus, somnus inquietus.

Vehementem frigorem-quassantem[1]) morbum introducentem, mox calor continuus sequitur, quod utrumque (in) primis morbi diebus repeti solet, simul magna sitis, cutis arida, sicca, faciei modo ac pectoris sudores. Urina rubra, qualis icterica, colore cerevisiae similis, reactione valde acida.

Pulsus frequens, sed mollis (90—100 impulsus faciens).

Febris aut vespero solo notabilis, aut bis per diem (ante et post meridiem) exacerbans.

Epistaxis hoc tempore consueta parva, nec dolorem capitis diminuens, interdum autem gravis et quae vix opprimi possit.

B. Stadium secundum, eruptionis.

Aegroti abdomen saepenumero nunc iam perspicue inflatur regione Ileocoecali et vario modo dolens videtur, ita ut dolor interdum forte compressione, interdum, quum vix (abdomen) attegimus, appareat, eoque maior, quo intestini maior typhosa infiltratio, quo maior glandularum Meseraicarum affectus, quo magis intestini aegrota pars apposito manui ad abdomen pateat, quo magis intactum aegroti sensorium commune. Animadvertendum est, dolorem non solum

1) Horripilationem s. Schüttelfrost.

regione Ileocoecali sed Umbilicali, Hypogastrica, Inguinali, sinistra posse percipi, mutato intestinorum situi.

In pectore aegroti, nunc tussientis, satis dilatati rhonchi sicci et humidi audiuntur, sono percussionis non mutato, dum pleni sunt bronchi secreti fluidi.

Quarto die interdum symptomata videmus irritati cerebri tanta, quae in Scarlatinae, Morbillorum, Variolae eruptione apparere solent; aegroti facies valde rubescens, turgens, oculis fulgentibus, capite ardente, summis doloribus [1]) affecto, deliriis interdum furibundis, febri non iam tempore matutino remittente.

Inter diem septimum et octavum interdum, dum epistaxis saepe videtur, urinae nubeculae aut sedimenta, lateribus in pulverem contritis similia, omnia denique symptomata in peius vergentia.

Pulsus saepe iam nunc dicrotus, magnus, magna inter ictuum numerum differentia, dum prostratus est aegrotus in lectu atque ubi se erexit. (Naumann.)

Prima morbi periodo tali modo finita, (orditur):

C. Stadium tertium nervosum.

Abdominis Tympanites, iam prius minore gradu notabilis, nunc summa et illa (quidem) interdiu tanta, qua, diaphragmate in cavum pectorale represso, respiratio fiat anxia et brevissima.

Borborygmi in ventro auditi, manuque in regionem Hypogastricam impressa aucti, quibus „Rumoris Ileocoecalis" nomen est datum, qui rumor gasorum ac liquoris in intestino commixtione productus — quamvis nonnulli negent — inter certissima Typhi signa pathognomonica est sumendus.

Meteorismum illum percussione demonstratum — symptoma — contentorum intestinalium celeriter disiectorum et

1) Dolorem capitis, saepe tantum, quem, relictis aliis symptomatibus interdum Encephalitidis signum aestimemus, saepe minore gradu iamdiu Typhum antecedere, tradidit Wunderlich.

cum processu Typhoso ipso ideo necessario coniunctum, Canstatt praedicavit.

Ciborum appetentia fere nulla, aut ad res, quibus cibis alias non uti solemus versa, sitis vehemens, fere insatiabilis. Defaecationes illae fluidae, frequentes, praegnantes — ut ita dicam — a die septimo vel octavo, nisi iam prius et morbi ipso initio sunt notatae, inveniuntur, quibus „Sordibus Typhosis" nomen est inditum et quas 6—10, quin 24 etiam (Louis) per 24 horas videmus.

Materiam defaecatam, initio excrementis mixtam mox, quum per nonnullum tempus in vaso manserit, in duas partes: graviorem, vasis fundum obtegentem (ex) parvis, sordidis, subflavis friabilibus panniculis vel flocculis compositam, — leviorem, aequabilem, flavam, fluidam, superiorem vasis locum obtinentem dissidentem videmus.

Sedimentum, residuis[1]) massae typhosae (partibus) expulsae mucosaeque contritae formatum, microscopio apposito perspectum, compositum videtur: (ex) globulis kuris, sanguinis, epithelii bracteati, aut cellularum primariarum, profundius iacentium, pannis, multis singularibus, inprimis systemati rhomboidali attribuendis, crystallis, partim arciformibus, cuboideis partim, cellulis intestini epithelialibus maioribus vel minoribus, rotundis aut angulatis, tum una cum massa moleculari (in) aqua suspensis, tum ad agmina rotunda aut irregularia conglomeratis, quae agmina granula illa alba, in faecibus tam saepe reperta, formare videntur. Multa praeterea faecibus insunt calcis carbonicae corpora, octavi arabici (∞) forma (dumb-bells), fungi praeterea ac Helminthes interdum: Oxyuris, Ascaris.

Faecibus saepe massa fere nigra, sanguine admixto, eiicitur. Odor et faecium et spiritus interdum foetidissimus.

Diarrhoeam non solum morbi initio sed posteris etiam stadiis plane abesse posse, satis constat, quod, si fit, non

1) Vide Funcke Atlas für physiologische Chemie. Tab. VII. Fig. 6.

inter bona sumendum omina censet Jenner, dicens, se saepius tum seriorem intestini perforationem vidisse.

Talis obstipatio facile, remedio laxante dando, in diarrhoeam obstinatam, vehementem mutatur.

Defaecatio omnino hoc stadio haud voluntaria, et eadem minctio. Invenimus interdiu mingendi oblivionem, vel paresin quandam vesicae, quum aegroti aut non mingant, quamvis vesica globiformis supra symphysin saepe ad umbilicum usque sit extensa, aut urina guttis defluat, vesica non plane exhausta, interdum autem aegroti, etsi semper prementes, urinam eiicere non possint.

Specillo in vesicam introducto, saepe multum exhauritur urinae, quae omnes res medicum, ne unquam vesicam perquirere obliviscatur, admonere debent.

Stagnante urina, exitus saepe lethalis, dum mucosa vesicae fit sedes stasis typhosae ac destructionis, aut sanguis, urea resorpta, venenatur. Tum mucosae vesicalis in cadaveribus color austerus, purpureus, mollities magna, interdum perforatio.

Magni praeterea interesse inter aegrotorum faecium retinendarum facultatem, quum alii mox faeces in lectum abire sinerent, alii, et ii sopore etiam profundo prostrati, semper matulam poscerent, Wunderlich animadvertit.

Haemorrhagiae illae intestinales, in Typho haud rarae, quae, quum minus sanguinis faecibus est admixtum, rutilum modo faecium efficiunt colorem, interdum tamen (ex) puri sanguinis massis compositae esse possunt, semper vasorum intestinalium ruptionem sequi solent, quae porro, priusquam sanguis ex ano effluat, viribus celeriter cadentibus, vultus pallore ac collapsu indicari possunt. Tum háud rarae subitae animae defectiones, et ipsa mors, aut vires certe (haemorrhagiis) adeo debilitatae, ut morbi affectus locales secundarios superare non possint.

Lingua, antea glabra, nunc, vietis papillis, sicca, quasi vernice obducta, tandem carnis, fumo siccati, visum offert,

nec non in ea Aphthae reperiuntur. Quae linguae labiorumque exsiccatio respiratione per apertum os augetur.

Secretum tenax mucosae faucium ac oris apparet sordidum, fuscum („fuligo“) linguae, dentibus, gingivae adnixum, quod, in crustis fuscis exsiccatum, nares interdum obtegit.

Pituita tenax, glutinosa, in bronchis collecta, non facile exscreatur, quum eam eiicere aegrotus, partim viribus deficientibus, partim apathia quadam sensibili ac motoria (praeditus) non conetur, ita ut rhonchi per totum pectus dilatati, et stethoscopio in thorace posito, et iam ad distantiam audiantur, pituitae vibrationes thoracis palpatione praegnantes sentiantur.

Pituitae habitus, si quam aegrotus exscreare potest, tenacissimus, glutinosus, in filis contextus, ita ut praesens Catarrhus videatur bronchialis.

Quo deficiente, tussis parva, sputa rara, nulli rhonchi.

Saepenumero maior bronchorum sanguinis serique repletio, inspirationum numerus ad 25—32 auctus, quae res aegrotum valde vexare solet. Pulmonum baseos percussio non sonora, respirationis sonus brevis, acutus, interdum sublatus atque—post—una cum rhonchis humidis multis rediens, visus.

Mucosae oris ac genitalium notabilis interdum livor.

Symptomata huius stadii febrilia adenamica inprimis, vel torpida.

Pulsus perpetuo frequens, diebus octavo et nono plerumque frequentissimus (impulsuum 100, 120, plurium etiam) aut fortis per totum secundum hebdoma, aut parvus, debilis, filiformis, durus et quem facile comprimere possis, eventu malo imminente, minimus, interponens, frequentissimus.

Plerumque tunc pulsus matutini et vespertini eadem frequentia, quem statum „febrim continuam“ veteres apellaverunt medici (P. Frank, alii.), sub finem periodi Typhosae (pulsus) interdum retardatus (impulsuum 35—36) auctore Canstatt, Chomel.

Cutis sicca, membranae pergamenae similis, cuius calor

omnino auctus (est), sed non aequaliter dispersus, quum extremitates saepe algidae, truncus sit fervidus (calor mordax). Sudores interdum vehementes, celeriter abeuntes.

Symptomata nervosa hoc stadio valde aucta, unde stadio „typhoso" nomen est datum.

Somnus inquietissimus, deliria furibunda aut musitantia, quae, aliorum opinione: sanguinis Typhosa decompositione in cerebrum influente veneni modo, aliorum: irritatione nervorum intestinalium ad cerebrum transcedente (Siebert) effecta dicuntur. Sensorium commune occupatum, perturbatum, aegrotorum habitus, aut medium inter somnum et vigilias tenens (locum), aut summa inquietas (Febris nervosa versatilis et stupida).

Musculorum vigor adeo nunc minutus, ut aegrotus (in) dorso sine motu proiiceat, plane corporis oneri cedens et quum vires se ipsum sustentandi perdiderit, ad inferiorem lectus partem decidat. Qui motorii-apparatus collapsus facie quoque apparet, cui singularis apathiae stuporisque inest vultus. Oculi sine splendore, incerti, semi-fracti, artuum tremor. Lingua tremens ab aegrotis prolata non facile reduci potest, saepenumero etiam provectam reducere obliviscuntur (aegroti). Iam non potum appetit aegrotus, nec pituitam in faucibus — ut supra iam dictum — collectam, exscreatur.

Deglutitio saepe impedita, musculorum oesophageorum diminuta mobilitate, quibus factis, aegrotus interdum non-nisi mora interposita-potare potest atque potandi motu valde defatigatur. Paralysi oesophageorum musculorum facta, potus claro defluit fragore.

Idearum recipiendarum facultas diminuta.

Prioris aurium-sonitus loco nunc tarditas et surditas etiam notabilis.

Oculi antea photophobi ac omnia, quasi nebulis obtecta adspicientes, nunc lucem vix sentire videntur.

Aegrotus semi-somniens, statu obstupefacto, apathico

prostratus, sui ipsius vix conscius, quum concutetur atque: quomodo se habeat, interrogetur: „bene de ipso agi“ respondere solet ac statim in stuporem recidit“ (Oppolzer.) Stuporem tertii stadii initio interdum adhuc parvis intervallis cedentem, nunc Coma solet sequi profunda. Vespero et nocte deliria vehementissima tandem perstântia. Vox incerta et quâe propter impeditum linguae motum, ideïs deficientibus, vix intelligi possit.

Qua systematis spinalis narcosi motus efficiuntur trementes, non voluntarii: Carphologia vel Crocidismus, Subsultus tendinum, motus convulsivi, spasmodici; musculorum zygomaticorum labialium, maxillarium, palpebralium, contractiones continuae, contractiones interdum extremitatum, musculorum colli, pharyngis, quin cloni etiam Tetanici.

His duobus statibus, satis contrariis, nervosae versatilis et stupidae febris nomen est inditum. 1)

Cutis sedes Exanthematis singularis, cui „Typhosae roseolae“ nomen est datum, fieri solet. Componitur exanthema ex maculis rosaceïs, lentiformibus, haud supra epidermidem sublevatis, quae compressione exstinguuntur, tamen, illa cessante, regrediuntur magis vel minus propinquae, macularum diametro 1—2''', quae, varie perennes, post septimum morbi diem apparere solent. Plerumque abdomen, interdum pectus, raro crura, brachia et antibrachia exanthematis sedes, eo apertioris, quo magis alba epidermis.

Quod exanthema non omnibus, antea memoratis locis simul apparet et, quum exempli gratia — inter 2—3 dies nonnullas in abdomine maculas rosaceas viderimus, magnus earum repentinus numerus (in) pectore, regione epigastrica,

1) Quorum primus habitum apathicum omni vigore carentem, alter habitum illum exaltationis, virium collapsum obtegentis, complectitur atque quorum primus fortassis constitutioni phlegmaticae et narcosi cerebrali praevalenti, alter motui febrili et cerebelli medullaeque affectui (maiori) prominenti tribuendus est. (P. Frank.)

interdum etiam auribus, brachiis, dorso, vultu est perspicuus neque quoque per certum tempus, sed post tertium diem tum abiens, partim per 12—15 dies permanens (quod si fit, eruptio secundaria forsitan est facta.)

Quod tamen exanthema tummaxime, sudoribus multis praesentibus, magnum, magnum quoque calore aestivo, interdiu, et hiberno praesertim tempore, plane deficit. Bis a „Speyer“ Roseolae loco maculae, caeruleae quas Pelioma Thyphosum apellavit, notatae sunt, quae pleraeque rotundae et ovales, singulae, haud certis terminis, peripheriam versus pallidiores, impresso digito cedentes quidem, sed ubi sublatus est ille, (iterum) statim prodeuntes, volam antibrachii, pectus, crura interiora principio obtinentes, morbi acme totum fere corpus obtegerant et post octavum diem sine desquamatione erant exstincti.

Cuius exanthematis causa sanguinis valde provecta forsitan dyscrasia; quod (exanthema) facile in extravasatum ipsum, scilicet petechias, transire potest.

Sudamina quoque, roseolam illam interdum comitantia, interdum autem sine ea reperta magno cutis calore, colliquescentibus sudoribus, per totum abdomen dispersa, aut manubrii sterni regione perspiciuntur, vesiculae scilicet vix acus capitis ambitu, colore perlucido, liquorem continentes aquosum, quibus: „Crystallinae Miliariae“ nomen est datum; saepe celeriter sublatae, aut, vesiculis amplificatis, colore lacteo distinctae, quae Sudamina tertio morbi hebdomate videri, hieme plane abesse solent. [1])

Cutis in Typho omnino magna emoriendi inclinatio, et Gangraena iis locis, in quibus impressionibus, remediis vesi-

1) A qua Sudaminorum verorum eruptione aliud vesicularum genus, pessimum scilicet putoris procedentis signum, cuius „Sudaminorum-mortis“ est nomen, quo epidermis in vesiculas ciceris dimidii magnitudine gasisque repletas tollitur, discernendum censuit Canstatt.

cantibus est praeparata, aut sua sponte, nullis apertis causis, apparere potest.

Saepenumero ossis Coccygis, trochanterum, scapulae, calcis integumenta cutanea sedes fiunt Erythematis cuiusdam, quo facto, cutis excoriationem, tum crustam cineream, fere nigram videmus loca, in quibus vesicatoria priora erant posita, obtegentem; cutem magno circuitu destructam.

Lienis hac periodo summus ambitus ac turgor.

Cutis frigidior et — calore mordace sublato — leni saepius obtecta sudore fine huius periodi interdum.

Symptomata nervosa contra minus mutata, quum auditus melior et dolores capitis minores visi, statim parvis commotionibus in priorem statum revertantur et quamvis „subsultus tendinum" et deliria cessent, lenis somnus nondum sit regressus, quin multorum aegrotorum sopor ad tertii hebdomatis finem remaneat neque minus extremitatum dolores, inprimis surarum. Symptomata respiratoria, minore excepta tussi, eadem, quae hebdomate secundo.

Tum, vicesimo et primo finito die, incipit:

D. Stadium quartum, reparationis.

Quod, mutationibus intestinalibus finitis, et „Dyscrasia Typhosa exstincta" — ut illo utar Canstattiano — valetudinem antecedit. Urinam, usque adeo acidissimam, die vicesimo neutrali, vicesimo-primo alcalina fungi reactione, cuius causa sit Ammonium Carbonicum, odore iam perspicuum, ac illam, subnubilam factam, pigmentum paullatim perdere, Schönlein est auctor.

Defaecationes nunc rarae, sordibus formatis, quas interdum clysmatibus incitare, oportet, abdomen collapsum, nulla extraordinaria sitis.

Cutis nunc maior plerumque turgor, mollities atque una cum corporis aequaliore temperatura copiosa nunc sudoris secretio, et si exanthemata adfuerant, desquamatio.

Lingua purior, quamvis diu adhuc pallida et glabra, integumento fuliginoso in pannis deiecto; fauces sensim humi-

diores, epistaxis interdum critica — si licet venia verbo!

Mucosae bronchialis epithelium ipsum quodammodo solutum et repulsum videtur, perdita sputorum tenacitate, quum sputa pituitae bronchiali similiores parvo labore matutinis horis exscreentur, tussis interdum die vicesimo-secundo cessatio absoluta.

Simul motus diminuti febriles, pulsus minus frequens, fortior[1]) non ita durus, qualis ante erat.

Systematis quoque nervosi in melius conversa symptomata, vultus librior, soporis loco somnus quietus, quo confirmatus aegrotus, bene se habens, atque plane sui compos expergiscitur. Deliria fere nulla, inquietas in dies minuta; faciliores motus, dum aegrotus faeces sponte retinere potest atque proximis et familiaribus studiosus, mâgnae conscius debilitatis, morbi finiti fere immemor, tamquam redivivus videtur. Quod quartum stadium paullatim serius vel ocius secundum residua Typhosa, praesertim intestinalia, ad valetudinem transit, soli neuralgici affectus interdum per nonnullum tempus notati.

Per aliquod tempus saepe adhuc calor magnus, pulsus acceleratus, diarrhoea sine ullo peccato diaetetico rediens; saepe, ceteris normalibus, etiam diu copiosi nocturni sudores, qui post decimum vel decimum quartum diem sponte auferuntur. Vulnerum vesicatoriorum ac decubitus cicatrices interdum diu moratae.

Recidiva pleraque, diaetetica sequentia peccata, (inveniuntur.) Quantopere epulae convalescentem excitent, eo apparet, quod post eas saepe pulsatio inspiciatur arteriarum temporalium, quae post vicesimum et quartum (morbi) diem sudore levi finiri solet.

1) Frequentior paullulum etiam hominum anaemicorum pulsus (Oppolzer, Hasse, Rokitansky.)

Recidiva imminentia pleraque: frigore quassante, horrore, interdum vomitu indicari solent.

Urina pallida, clara, anaemicae urinae similis, nec illa multa firma elementa in primis Nitrogenii continens, raro adhuc rutila, reactione alcalina.

Cutis desquamatio consueta in volis manuum, plantis pedum, colli et faciei integumentis; unguibus crinibusque saepe perditis âtque deiectis, quae omnia eo magis sunt notanda, quo maior Sudaminorum eruptio antecessit.

Qua periodo edendi cupiditas, et illâ vehementissima, quam coercere interdum, ac semper fere, debemus, ne aegrotus nimis edendo morbi stâtum in peius vertat.

Lenta saepe et lâssa notabilis massae organicae, virium, valetudinis repâratio; cuius rei hae fere causae videntur:

I. Lentae ulcerum intestinalium cicâtrices.

II. Status glandularum meseraicarum, gangliorumque âbdominalium remanens atrophicus.

Cicatrices ulcerum sâepe per menses retardantur, quam ob rem aegrotum, quamvis convâlescentem visum, medicum e conspectu âmittere, non licet, quum negligentia, peccato diaetetico, curâtione perversa serior adhuc exitus lethalis et ille intestini perforatione afferri possit, quae perforatio diu, post processum locâlem finitum, Typho ipso iamdudum finito, in ulcere remanente lento, repentinâ peritonitide perforativa cum celera morte ingruere potest.

Quâ in re notanda, auctore Schoenlein, ea fere (signa):

1. Diarrhoea, quum post sedatam defaecationem dysentericâm, iterum fit perspicua, regione Ileocoecâli denuo doloribus affecta, certum cicâtricum ulcerum nondum ad integrum reductârum est signum.

2. Quo intensior ipse (erât) morbus, quo âpertiora symptomâta intestinalia, eo lentior stadio convalescentiae restitutio ad integrum, eo accuratior aegroti curatio et diaetetica et therapeutica necessariâ.

3. Sanitas nondum integra, dum singula nervosi systematis turbati symptomata animadvertuntur: ut caput occupatum, in motibus vertigo, aurium-sonitus.

4. Quo maior vespertina atque parvis causis producta pulsus frequentia, quo diuturnior macies viriumque collapsus, magna edendi cupiditate, eo minor totius intestini reparatio.

Statu atrophico quoque glandularum Meseraicarum et plexus solaris convalescentiam retardari, iam satis constat.

Videmus aegrotum interdum, adversus omnem medicae artis curationem non recreari, cuius causa partim intestini mucosa omnis villis privata, partim status ille glandularum Meseraicarum vietarum plexusque solaris (vieti) — supra demonstratus, quem natura functiones impeditae sequuntur.

Aegroti debilitati, emaciati hoc tempore summopere est, ut caveat, ne peccata diaetetica, perfrictiones, affectus psychici detrimento ei sint.

Raro remanere solent aurium-tarditas vel surditas, pituita in tympani cavitate conglomerata, sicca concrementa in meatu auditorio externo; forsitan etiam observatur, quod Clemens observasse (se) scripsit, spermatorrhoea.

Nonnulla nunc — tanquam in parentesi — de infantium Typho dicenda videntur.

Typhus infantium inter tertium et duodecimum aetatis annum breviorem solet offerre decursum et, morbo tantum vehementissimo, cuius causae fortassis sint: peccata diaetetica, perfrictiones etc., diutius protrahitur.

Memoriae dignus ille clamor tristis, quem infantes per somnum exterriti tollere solent, pathognomonicum haud parvum Typhi signum, atque immerito saepe Hydrocephalo tributus, qui aegrotorum curationem curantibus facit molestissimam. Inquietas, calor, collapsus saepe maximus, sensorii-communis semper summa perturbatio: dentium trismus, convulsiones, risus Sardonicus, neque minor tum respirationum turbatio.

Notandae sunt conditiones nonnullae a norma discedentes, interdum in Typho perspicuae.

Typhi decursus interdiu acceleratus, quum eruptio iam post secundum morbi diem stadium nervosum die sexto aut septimo intrare possit, interdum retardatus, qui a veteribus „Febris Typhosa lenta“ (P. Frank) est apellatus, cui forsitan adponenda illa „Febris typhosa,“ mucosa quae nihil aliud, ac Typhus Abdominalis retardatus, copiosissima pituitae secretione notabilis videtur esse.

Raro tandem Typhus abortu obit atque tum septimo morbi die videtur finitus.

Notandae hic quoque illae Typhi formae afebriles, quibusdam regnantibus epidemiis, haud rarae, quae, sicut (in) Cholerae epidemiis Cholerine, magnam populi partem ingruit et post unius aut trium hebdomatum spatium, parvis vel nullis symptomatibus febrilibus, tum obstipatione tum diarrhoea, aliis Typhosis minoris momenti signis praesentibus, paullatim, copiosis sudoribus, placido somno, urina sedimenta in matulae fundo deponente, solvitur, qui tamen „Status Typhosus“ interdum, tamquam prodromorum stadium, Typhum verum antecedere potest.

Typhi ipsi rari, omni decursu latente, nullo prodromorum stadio parva exsudatione notantur.

Commemorandae praeterea haemorrhagiae, quae interdum hebdomate iam primo, vulgo secundo ingruere solent, in quarum numerum praeter epistaxidem atque haemorrhagiam intestinalem iam ante memoratam, haemorrhagiam adhuc ex auribus atque coniunctiva raram, sanguinolentam corii infiltrationem, Petechiarum aut magnarum Ecchymosium planarum causam, sumem — mala scilicet signa!

Vehemente reparatione, facile fit perforatio Ileï inferioris, quae, ab ulceris Typhosi basi emollita atque in crustam conversa profecta, inprimis parva basis loco in profundum procedit, parva peritonaei apertura, milia vel gruto non saepe maiore.

Vulgo Ileï infernoris perforatio, rarius superioris aut inferioris Coli; perforati ulceris margines semper fere collabentes, peritonaei parva apertura cavum abdominis versus spectans, unius aut quattuor linearum diametro.

Per quam parvam perforationem contentorum intestinalium pars erorans, celerem peritonitidem profert. Tum abdomen celeriter summopere efflatum, tamquam globosum, regionis Ileocoecalis sonus percussione obtusus repertus; aegroti repentinum vehementissimum dolorem regione plerumque Inguinali dextra queruntur et illum interdum adeo, ut abdomen vix ättingi possit; simul frigora constantia, nausea, ructum, singultum vomitum, constantem mingendi cupiditatem invenimus.

Tum, corde, pulmonibus, iecore tympanico abdomine repressis, magna dyspnoë, collapsus celer, facies Hippocratica. quae omnia (signa), extremitatibus algidis, pulso parvo filiformi, celera mors sequi solet.

Exsudatum (in) cadaveribus repertum plerumque copiosum quidem, sed minus plasticum, molle et fluidum, liquidum. Etsi exsudato gyrus intestinalis perforatus alio, aut mesenterii, aut abdominis loco interno oblinatur — unde diutius res protrahuntur, tamen nunquam perforationis sanatio, sed exitus semper lethalis est visus (Schoenlein, Rokitansky). Pleraque perforatio seriore morbi tempore, tertio aut quarto hebdomate, saepe quum iamdiu morbus est finitus.[1])

Perforationis causae: intestinum nimis meteorismo expansum, rusticae in palpando abdomine manipulationes, drastica remedia saepe contra obstipationem reparationis tempore data

Interdum Typhosi ulceris in lentum ulcus dyscraticum, atque ideo Typhi in Phthisim-meseraicam aut Enteromalaciam degeneratio, quae, corpore infirmo, faecibus aquosis, pulsu frequentissimo, sopore profundo, celeram mortem adducere solet.

Quando Coli mucosa sedes (est) singularis processus,

1) Semel ultra diem octogesimum eam vidit Schoenlein.

hyperaemia fit Coli: exsudato parvo, Colum ipsum asperum, infiltrationes oedematosae, respiratio brevis, pulsus parvus, mors ipsa saepe sequens, etsi interdum convalescentia lenta possit sequi.

Hominum Anaemicorum Typhus a norma discedere solet, magna tum pulsus frequentia, pulsus aut plenus ac fere dicrotus, aut parvus, systema nervosum valde irritatum, magnus (virium) collapsus — retardata sanatio.

Decubitus creber et ille molestissimus plerumque iis partibus, quae compressione oneris corporis sunt expositae: regione igitur Sacro-Lumbali, Trochanteribus, Calcibus, Spina scapulae.

Invenitur praeterea locis, qui prioribus sinapismis et vesicatoriis sunt corrosi, quibus sanguis aut sub epidermidem in rete Malpighium, aut in cutaneum et subcutaneum cellularem textum diffusus est, unde (in) partibus profundioribus stasis (iam propter Typhosi sanguinis ad putorem vergentis statum); atque (invenitur) epidermidis locis faecibus atque urina maceratis, dum illa, infiltratione conspissata, perdita soliditate, facile dirumpitur, phlyctenutas profert etc.

Cuius Paradrymatis hi gradus divergentes:

I. Epidermis sensibilis et calida.

II. Erosiones superficiales.

III. Vesiculae, quas secuta ulcerosa planities.

IV. Totum corium in crustam gangraenosam, quae decidens cicatricem profundam, cutis necrosim, ductus fistulosos proferre potest, conversum.

Quo decubitu maiore omnia symptomata et febrilia et nervosa aucta (inprimis virium collapsus, insomnolentia) quin exitus etiam lethalis interdum productus.

Describendo digna ac Typho propria secundaria videmus „deposita“, quorum praecipua: Hepatisatio pulmonum lobularis, formationes furunculosae, Parotites. Videmus enim interdiu tertio finito hebdomate repentinum frigus, calore

magno sequente, linguam siccam, deliria. Diversissima organa talis affectus inflammatorii sedes esse videntur, pyaemici similis et sanguinis purulentam quandam diathesim satis demonstrantis.

Quorum plerosque in pulmonibus invenimus, ubi nomen iis „hepatisationis lobularis" est datum, nostris temporibus tam crebros, qui vix inter exceptiones sint sumendi.

Symptomata bronchialia leviora omnem fere Typhum comitari videntur, interdum tamen Typhosa stasis in profundius pulmonum parenchyma progressa, splenisationem et hepatisationem pulmonum (plerumque posteriorum) proferre potest, quae complicatio eo magis perniciosa, quo occultior propter sensuum communem torporem, symptomatis paucis vel nullis, ita ut sine auscultatione (adhibenda) vix cognosci possit; respiratio accelerata, anxia, saepe autem nulla aegroti dyspnoë, nulli dolores, tussis ipsa saepe parva, dum aegrotus nihil vel parum pituitae tenacis sanguine cerasinae (tinctae) excreat. Accurata perquisitione sonum percussionis pulmonum posteriorum inferiorum invenimus paullum obtusiorem et praeter rhonchos per totum pectus dilatatos saepe bronchophoniam ac respirationem bronchialem.

Aliud, pessimum Typhosum „depositum" accessorium in Laryngis mucosa invenitur, (in) quo stasis Typhosa parietem posteriorem laryngis ac margines epiglottidis occupare solet et sub symptomatibus Laryngitis-Crouposae, Oedematis Glottidis, aut Phthisis Laryngeae, cartilaginum necrosi facta, aegrotos morte afficere potest; cui Laryngitidi, post quartum decimum aut vicesimum primum Typhi diem apparenti tussis propria (est) laryngea, alia Laryngitis-Crouposae symptomata, mors interdum suffocatoria.

Notatum porro accessorium „depositum" in pharyngis mucosa, raro solum; saepius priori socium, cuius symptomata omnino Anginae gangraenosae.

Quae tres morborum formae a veteribus nominibus:

Pneumotyphi vel Bronchotyphi, Laryngotyphi, Pharyngotyphi sunt significatae.

Rarum simile Typhosum depositum in Genitalium muliebrium, inprimis nympharum et labiorum maiorum mucosa reperitur, quod, dum tumore oedematoso partium propinquarum ulceratio fit perniciosissima, saepius destructionem gangraenosam, amplo circuitu dilatatum, profert.

Furunculi quoque, etsi rariores, Typhum sequuntur, qui tum modo pauci in glutaeis positi, tum multi in dorso, natibus apparentes, magna suppuratione aegrotum conficere possunt. Visa sunt interdum etiam tubera magna, dura, Carbunculosa, puris saniosi plena, nec non abscessus diversis corporis partibus inter tertium et quartum hebdoma.

Erysipelas porro interdum Typhi socia plerumque capitis et facieï, quae per totum quoque truncum migrans, cutem facit rubram, fervidam, aegrotum magno afficit dolore et, celeriter regressa, repentina deliria, cerebri paralysim, mortem efficere potest.

Oedemata etiam, splen, renes, diversi textus cellularis subcutanei et intermuscularis loci purulenta infiltratione affecti, metaphlogosis textus cellularis colli, gingivae inflammatio animadvertuntur, symptomatibus semper vehementibus.

Quibusdam Epidemiis propria Parotitis maligna, qua cum symptomata inflammatoria exulcerantis Pharyngis, pulmonum, renum, organorum aliorum abscessus circumscripti, qui puris in sanguinem resorpti suspicionem producere possunt, sunt coniuncta.

Parotites illae, pleraeque bilaterales nervoso morbi stadio, dum aegroti, surdi facti, vehementem aurium-sonitum, magnos dolores queruntur, sunt notabiles.

Sensibilem ac magnum Parotidis tumorem videmus, cute livida obtectum, symptomatibus nervosis semper auctis.

Parotitis, aut lenta progressu, aut celera relapsu, dum, colore rubro, tumore sublatis, sopor et paralysis cerebralis apparere potest, aut-quod iam fluctuatione sentiri licet-paro-

tidis in suppurationem transgressus, quae suppuratio, profusa facta, formationes vicinas destruere et, carotidis integumentis corrosis, haemorrhagiae lethalis causa fieri potest. Haud alia abscessus interioris auriculi symptomata, qui sive in pharyngem per tubam Eustachianam progressus, aut cavum cranii versus procedens, meningitim lethalem serius vel prius producere potest.

Omnino inflammationes videmus secundarias ad ea loca sese convertere, quorum valetudo infirma, periculosasque in primis esse illas cavi pleurarum ac pericardii, quum his maxima insit malorum formandorum residuorum facultas.

Nonnulla nunc dicam de corporis — in Typho-temperatura.[1]) Temperaturam in multis morbis metiendam haud minimum signum esse diagnosticum, jam ducuerunt: De Haen, Fourret, Zimmermann, Traube, Baerensprung, alii, nuperrime in commentatione, disertissime scripta, T. Thierfelder, [2]) quem secutus, ea fere proferam:

Temperaturam in Typho videmus tribus, quinque primis diebus magis magisque auctam („incrementum primordiale“) tum per duo plerumque hebdomata constantem neque unquam hoc tempore ad normam relapsam („stadium acmes“), quamvis saepius a secundo aut tertio medio hebdomate paullulum moderata reperiatur.

Quae Temperatura aucta a principio et plerumque per totum febris spatium typum offert quotidianum remittentem,

1) Methodum autem, qua mensiones constituendae sint exponi necesse est: Thermometrum, scala Réaumuriana, unus gradus rursus in 5 partes, ita ut pars decima unius gradus facile cognosci possit. Attamen vero, quum non vitiis careat, thermometra cum aliis arte regulatis comparata, tabulaeque ex eo constructae sunt, quibus facillime falsa corrigi possit: nec non absoluti temperaturae modi definiendi; semper in axilla ponantur thermometra et, ut globus ubique circumductus, ad pectus apprimantur etc.

Nunquam prius, quam minutis 15—20 praeteritis, mensiones instituebantur. (G. Michaël.)

2) Vierordt. Archiv für physiologische Heilkunde Pag. 173 etc.

remissionibus saepissimis matutinis, „febris continuae continentis typum, interdum modo acmes tempore, aut in morbi complicationibus."

Temperatura acmes stadio vulgaris vespertina 32°—33° R., matutina 31°—32,°5 R., summa 33°—33,°5 R. est visa, quae, dum tempus stadii acmes est normale in mediam, dum maius, in primam, dum minus in secundam illius stadii partem incidere solet.

Pulsus frequentia illo stadio inter 92 et 120 (impulsus per unam minutam) interdum tamen non supra 84. „Stadio acmes" plures momentaneae caloris remissiones diebus: 4, 5, 6, 10, 12, 13, 14, 17, 21, 24, 28, 31.

Paullatim Temperatura aucta ad normam regreditur per plures dies, quum plerumque principio temperatura sola matutina valde sit diminuta atque postea demum vespertina quoque perpetuo diminuta inveniatur.

Temperaturae „remissio certa" plerumque die: decimo et septimo rarior diebus: 24. 21. 12. 13 rarissima diebus: 28 aut 35.

Convalescentium temperatura , nisi adsunt complicationes morbi, aut normalis, aut paullulum etiam infra normam relapsa. Catarrhus bronchialis vehemens, Pneumonia hypostatica, aliorum processuum inflammatoriorum accessus, stadio acmes temperaturam eximie augentes, eius remissionem certam aut retardant, aut impediunt.

Convalescentiae tempore turbationes gastricae, Catarrhus bronchialis, irritationes psychicae, tum diuturnam, tum momentaneam temperaturae incrementum, quod vespere valde saepe exacerbat, provocant.

Haemorrhagiae narium, intestini, pulmonum temperaturam paullulum diminuunt.

Exitu lethali propinquo temperatura duodecim ante mortem horis ad 34°5 R. augeri potest.

Symptomata nervosa graviora secundo medio hebdomate

pleraque inveniuntur, quum iam aucta temperatura paullulum relabi incipiat. Temperaturae remissione certa faciei rubor febrilis tollitur, simul lienis saepe minutus ambitus, defaecationes magis faeculentae, urina copiosior atque clarior, pulsus, etsi quoad frequentiam minor, tamen per nonnullos adhuc dies dicrotus remanere solet. Sudoribus fortibus tum solum temperaturae incrementum anormale valde diminuitur, quum tempus adest, quo iam per se diminui solet.

Videmus, „calorem proprium“ in Typho magnum, malum esse signum, contra minorem, bonum, mali porro ominis calorem animalem horis matutinis et vespertinis fere aequalem, boni contra, quum magna differentia sit animadversa inter tempus remissionis et exacerbationis. Semper fere equidem aegroti, cuius magnus erat calor proprius neque inter matutinum ac vespertinum (mediendum) differentia, morbum vidi in peius versum, contra aliorum, quorum minor erat ille calor ac magna illa differentia supra memorata, in melius (morbum versum, valetudine sequente. Temperatura physiologica 29°,9 R. vel 29°,5 R. a Damrosch constituta, nunquam equidem vidi calorem maiorem 33°,3 R., minorem 29°,8 R.

Plerumque calorem matutinum vidi 30°,3 R. — 31°,1 R.
„ vespertinum 31°,1 R. — 32°,1 R.

Grata sane totius gradus vel maior etiam inter calorem matutinum et vespertinum differentia, grata, ut exemplo utar,

matutinus calor 30°,1 R.
vespertinus „ 31°,1 R.

Sanguinis mutationibus ante iam commemoratis, ad urinae commutationes transeam.

Urinae mutationes, nuperrime in lucem protractae, tantam dignitatem sunt nactae, ut inter praecipua Typhi symptomata eas numerare haudquaquam dubitem. Videmus enim, iis solis noscendis, saepenumero differentiam pathognomonicam inter Typhum et alios, similia alia symptomata praebentes morbos, praeberi.

Quarum quaestionum dignitate commoti, iam multi cognoscendis urinae Typhosae commutationibus se dederunt: Bequerel, Scherer, Simon, Rost, Tomovitz, Seitz, Vogel, Heller, novissimus J. Moos commentatione illa praeclara, a facultate medica Heidelbergensi coronata, qui hancce meam dissertationem, libello illo libentissime praebendo, summopere adiuvit.

Num alcalina urinae reactio malum, acida bonum sit signum prognosticum, quod a Schoenlein affamatur, a Tomovitz negatur, equidem nec affirmem nec negem; coloris illius sordidi, fusci sanguini putrido similis causam, tum sanguinem esse urinae admixtum, tum singulares partes Extractorum, Typho plerumque auctorum, Seitz et Tomovitz obtinent.

Sedimenta subflava, fusca, rosacea, interdum in urina reperta — ex Ammonio ureoso constant.

Quod ad compositionem: Salia Ammoniacalia in urina Typhosa invenimus multa, Acidum lacticum non paucum, neque minora Extracta, Ur e am auctam, Natrum chloratum diminutum, Albumen saepius urinae admixtum, parum plerumque, interdum tamen tantum, quod tertiam, quin dimidiam totius urinae partem expleat, quod Albumen, ubi spontaneum, non puri ac sanguini socium, secretum renum directum apparuerit, certum semper morbi in peius, ubi tolli coeperit, in melius versi symptoma esse, recte Tomovitz praedicavit.

Renum hyperaemia, secreti Albuminis causa, quibusdam conditionibus in ipsum exsudationis statum augeri potest, quo facto, dum coagula fibrinosa cylindrica in urina reperiuntur, secernendae urinae oppressio atque uraemiae symptomata, illam sequentia, reperiuntur.

Nephritidis huius albuimnosae, cuius initium in die morbi decimo sexto vel decimo septimo ponendum censuit Frerichs, symptomata saepenumero plane omitti atque symptomata uraemica, eam sequentia, typhoso soli sanguini attribui solere, non dubitandum (est.)

Summam urinae inter 24 horas messam, multis requi-

sitionibus comparatis, Moos [dedit 1450 Cb.Cmr., in quibus
23—30, 358 Grm. Ureae,
12—15 Grm. Natrii chlorati.

Videmus nunc Uream primo, secundo, tertio incipiente hebdomate valde auctam, sicut pro ratione alimentorum ad triplum veniat, neque auctum maiore aquae copia, quum in urina aegroti, aquae 2164 Cb.Cmr. tenente, tot Ureae inesset, quot in urina, aquae Cb.Cmr. 1200 (continente), Salium firmorum contra diminutionem, inprimis: Salis Culinaris.

Quae Urea aucta, Sal culinare diminutum praesertim primo morbi hebdomate notatur, dum sub finem res magis magisque ad normalem statum reduci videntur, nec ad normam, sed infra illam etiam, fortassis, quia his temporibus alimenta omnia in textuum, summopere debilitatorum, reparationem convertuntur.

Si media igitur auctae Ureae, minuti Natrii Chlorati habere volumus ea invenimus.

	Quantitatis totius.	Ponder. specif.	Ureae.	Salis culinaris.
Primo hebdomate	884 Cb.Cmr.	1,024	36,9 Grm.	0,9 Grm.
Secundo „	966 „	1,022	33,2 „	1,1 „
Tertio „	989 „	1,020	25,9 „	3,4 „
Quarto „	1145 „	1,018	22 „	10,7. „

Videmus igitur Ureae copiam primo hebdomate maximum et quasi re (vera) decrescentem, tamen pro ratione alimentorum receptorum auctam usque ad convalescentiae stadium. Notandum est, frequentibus diarrhoeis praesentibus, interdum paullulo minorem uream in urina reperiri et depositis secundariis et, afebrilibus, et non pyaemicis Ureae copiam non denuo augeri.

Magni hoc momenti, quoad Diagnosin, vel potius Prognosim, quum ureae copia celeriter decrescens, celerem convalescentiam indicet, diu remanens, aut etiam crescens malam faciat Prognosim.

Ureae copia contra (in) Catarrho Intestinali afebrili inter

24 horas messa; minor quidem norma, alimentis autem respondens, sub morbi finem augetur; (in) febrili Urea pro receptis alimentis aucta 6—8 Gr. videtur.

Sal Culinare auctum per totum morbi tempus.

Vidimus, exempli gratia, in Catarrho intestinali:

	Quantitatis totius.	Ponderis specifici.	Ureae.	Salis cularis.
Primo hebdomate	748Cb.Cmr.	1020	21,3Grm.	3,8Grm.
Secundo „	1009 „	1017	23,2 „	6,2 „
Tertio „	1142 „	1017	25,4 „	12,4 „

Ita ut Urea primo hebdomate minima, et idem Sal culinare atque paullatim aucta videntur, usque ad morbi finem, quo copiam a norma constitutam fere sunt nacta.

Typho igitur cum Catarrho Intestinali per seundum et tertium hebdoma comparato videmus:

Urea in Typhi primo hebdomate ad triplex saepe pro alimentis receptis augetur.

Urea in Catarrho intestinali pro alimentorum ratione nihilo aut 2—3 Grm. augetur, sicut differentia inter Uream Typhosam et Catarrhalicam sit 15 Grm.

Secundo hebdomate urea Typhosa pro primo (hebdomate) diminuta, Catarrhalis aucta, ita tamen, ut differentia adhuc maneat: 10 Grm.

Apud Catarrhi intestinalis convalescentes Uream invenimus norma plurem, quia nulli fere momenti textuum detrimentum, tum demum alimentis (recipiendis) reparandum.

Salis culinaris videmus in Catarrho intestinali primo hebdomate quadruplicatam, secundo quinque—plicatam fere copiam ac in Typho, dum sub convalescentiam (in) Catarrho Typhoque similis ac eadem fere copia.

Videmus igitur Typhi Diagnosim differentialem inter utrumque hunc morbum, etsi non a principio ipso, tamen a quarto die iam urina constitus possi. Quae urea aucta, Sal culinare minutum, etsi satis Typhum a Catarrho intestinali

discernat, non est Typhi solum signum pathognomonicum, quia Ueam quoque auctam videmus:

I. in Rheumatismo acuto (exsudationis stadio),
II. „ Pneumonia (hepatisationis stadio),
III. „ Meningitibus acutis,
IV. „ Apoplexia cerebri.

Sal culinare diminutum: in Pneumonia.

Quibus perspectis, meliorem dare prognosim uream non adeo auctam, celeriter decrescentem, sal culinare non tantopere diminutum, peiorem albumen in urina repertum, magnam ureae copiam posteriore morbi tempore, sal culinare magnopere diminutum, videmus.

Diagnosis.

Etsi difficile non sit, totam aperti Typhi imaginem cognoscere, tamen interdum Typhi inveniuntur, quorum difficilior est diagnosis, quae diuturna modo observatione certe constitui potest. Morbi Typho similes, quibuscum inprimis confundi potest, sunt:

Catarrhus intestinalis, Enteritis, Peritonitis quaedam, Meningitis, Phlebitis, Bronchitis, Tuberculosis acuta. Quamquam Tuberculosis acutae symptomata Typhosis interdum videntur simillima[1]), tamen multa notanda sunt discrimina. Aegrotorum, Tnberculosi affectorum, habitus plerumque scrophulosus, irritabilis, tussis iamdudum matutina, morbo procedente, symptomata respirationis primaria, intestinalia secundaria, — contra in Typho primaria intestinalia, secundaria respiratoria.

Symptomata pectoralia non modo catarrhalia et bronchialia, sed priore tempore iam notati obtusae percussionis loci regione Infraclaviculari, Rhonchi, sonus respiratorius asper, exspiratio prolongata, Dyspnoë Typhosa longe maior.

1) Lien ipsum in Tuberculosi interdum summopere turgens.

Febris in Tuberculosi-acuta vehementior, pulsus frequentior ac in Typho, quae febris, febri hecticae haud dissimilis, exacerbationibus vespertinis gravibus, magna matutina remissione, cuius exacerbationis signa: temperatura volae manus et plantae pedis aucta, genarum rubor, (rosa Phthisica) urina saturata, pulsus frequentissimus, (apparet.)

Bronchitidis porro, saepe cum Typho confusae haec discrimina:

Apparatus intestinalis non adeo affectus, lingua non tam rubra, sicca, nulla Tympanites, lien nullo modo turgens, nulla roseola, nihil Typhosarum specificarum faecium. Enteritis ita a Typho distingui potest, ut illius symptomata intestinalia reperiantur sine magno systematis nervosi affectu, (sine dolore capitis, prostratione etc.).

Defaecationes enteriticae frequentiores, magis dolentes e principio et per totum morbum, dum in Typho diarrhoea — ut iam commemoravimus, interdum abesse potest.

Nulla praeterea linguae, narium, labiorum fuligo. Sensus nunquam fere perturbati, nulla deliria, nullae involuntariae defaecationes, nullum Exanthema, rarissimus Meteorismus ac Decubitus.

Peritonitidi plerumque obstipatio ac vomitus inesse solet, dum in Typho plerumque invenimus diarrhoeam, in Peritonitide porro exsudatum mox post morbi initium in cavum abdominale diffusum, percussione cognoscendum, nunquam fere stupor, Exanthema, Decubitus.

Febris Phlebitidis torpida eam in speciem Typhi — periodo nervosa — assimilat.

Hic autem causae sunt perquirendae, quum Phlebitis semper fere venaesectiones, amputationes, partus etc. sequi soleat, praeterea frigora quassantia saepe repetita, ictericus cutis color, deposita secundaria huic morbo sunt propria.

In Meningitide nullum prodromorum stadium, nulla diarrhoea; Meteorismus, fuligo linguae et oris absunt, nulla

febris torpida; — deliria contra a primordio, quod nunquam fere Typhorum initio notatur.

Magni est momenti: Typhum a Catarrho intestinali, seu Febri gastrica simplice discernere, morbo, quo cum sine dubio saepenumero etiam confunditur, quum Typhi, a multis medicis uno vomitivo iugulati dicti, plerique Catarrhi intestinales sint habendi. Quod inter Typhum atque Catarrhum gastricum et praecipue Typhum cum obstipatione discrimen, primo morbi hebdomate difficile factu, a septimo aut decimo die fit facilius.

Videmus enim in Catarrho gastrico non illam eximiam artuum debilitatem, musculorum tonum plane fere perditum, magnae scilicet spinalis laesionis signum, nullum videmus lienis tumorem, nullam Roseolam aut Miliariam, epistaxidem nullam — contra herpetem illam febrilem labialem, in Typho nunquam fere repertam.

Praeterea Catarrhi intestinalis symptomata medio secundo hebdomate tolli solent.

Temperaturae ceterum conditionibus accuratius ac pulsus habitu Typhus diiudicari potest (Schmieder.)

Morbus febrilis hominis, ad-eo bona valetudine praediti, Typhus non est censendus, si Temperatura primo iam die ad 32°R est provecta, nec quoque, si tertio die ad illos 32°R nondum adscendit, dum, Typho praesente, sexti morbi diei vespero temperatura potest esse minor 32°R. Idem Typhus non praesens videtur, nisi per unum certe hebdoma temperatura ita se habeat, quemadmodum eam „stadio acmes" propriam enarravimus.

Quae de Aetiologia dicenda erant, pleraque iam antea sunt conscripta, addenda fere tantum illa: Quum — ut dictum est — omnis humana aetas Typho Abdominali sit obiecta, infantes tamen ac senes raros videmus Typho affectos, dum inter annos decimum et octavum ac trigesimum quintum in primis apparere solet.

Vehementissimis ac perniciosis Typhis saepe homines,

iuvenes, robustos affectos videmus, dum non rarus in hominibus debilibus contra spem bonus morbi exitus.

Vinolentorum hominum, Typho oppresorum, mors saepe apoplectica. Scorbuti, Delirii — Trementis mala complicatio.

Num constitutio (aeris) illa miasmatica, cui Malariae nomen est inditum, tum Intermittentem, tum, aliis conditionibus, nobis scilicet ignotis, praesentibus, Typhum producere possit, non satis constat. Videmus sane multis locis Intermittentem cum Typhosa epidemia alternantes, interdum autem alterum morbum ab altero exclusum.

Drasticorum quoque remediorum, praesertim constitutione illa, Typhos exoriundos adiuvante, abusus interdum haud parva morbi causa, veteribus atque nostris temporibus medicis permultis est visa.

Constitutione epidemica, Typho proferendo favente, quum Typhi indoles hominibus insint, diversae exteriores conditiones morbum ad eruptionem proferre possunt (indi gestiones, cibi nocentes, remedia purgantia inepte data, ira, dolor, affectus animum deprimentes etc.) Plerumque morbus epidemiis diffunditur; ipsae epidemiae, longe lateque pervagatae, inprimis magnis urbibus, magno incolarum numero, diutius commorantur.

Typhosi miasmatis generatio inopia, miseriis, nimiis libidinibus, malis cibis, corrupto aere adiutur, multis hominibus in angustis locis congregatis.

Epidemiae regnum saepe immotum calore aut frigore.

Num aëris vis electrica in epidemiarum decursum influat, non satis constat.

De statibus illis, Typhum excludentibus dictis atque ei aventibus, iam prius est dictum eodem ipso loco, quo de genesi contagiosa, quae hodie a nemine fere potest negari, cuius contagii geruli: aegrotorum exhalationes, excrementa, Typhosae forsitan in intestino formationes positae, aliae conditiones, nobis ignotae; contagium etiam ipsum a nonnullis addubitatum, dum alii Typhi genesin negant miasmaticam.

Prognosis.

Prognosis semper dubia!

Variis Typhis, seu sporadicis, seu epidemicis varia, nam, dum alia epidemia voracissima est, aliae exitus boni esse solent.

Morbi vis stadio incrementi maior (stadio) decrementi. Commemoratum est, homines robustissimos morbo interdum perire, quum debiliores feliciter evaderent, attamen corpus validum sine dubio maiorem convalescentiae spem offert, ac debilitatum. Vinolentorum et cachecticorum hominum, quorumque organa abdominalia iam prius morbis corripiebantur, praecipuum periculum; senum Typho, quamvis raro, affectorum certa fere mors, aetate iuvenili, infantili faustior prognosis.

Prognosis omnino caute (a) medico est facienda, nec ultra proximum quemque diem, quum in Typhos, quorum exitus videbatur bonus, saepe repentina mors ingruat et symptomatibus normalibus, aut certe normalium speciem praebentibus, repentinus casus malus, neque ulli suspectus, tamquam insidiosus hostis ex insidiis proruens, omnem spem perdat.

Prognosis pro rata parte melior: symptomatibus localibus et communibus mediocriter gravibus, dum dolores parvi, meteorismus non adeo magnus, defaecationes non tam frequentes, organa respiratoria satis intacta, narcosis parva, pulsus non frequentissimus est, remissionibus manifestis elucentibus. Sudores nimios maior ctiam debilitas, transpirationem lenem leniora morbi symptomata sequi solent.

Mala contra omina: Diarrhoea colliquescens, quae vix sedari possit, haemorrhagiae intestinales, defaecatio involuntaria, dolores per totum corpus pervagati, omnes bronchorum,

pulmonum, pleurarum, laryngis, cerebri irritationes secundariae, magna febris adynamicae vis, frigora quassantia, temperatura inaequabiliter dispersa, putoris symptomata omnia atque systematis nervosi valde obpressi, clonica symptomata vehementia, subsultus tendinum, carphologia, singultus, deliria vehementia (praesertim, quum iam morbi initio reperiantur) aut profundum Coma, pulsus frequentissimus, debilis irregularis [1]), affectiones porro gangraenosa, oedema extremitatum diffusum.

Mala praeterea omnia: Diarrhoea seriore tantum morbi tempore (hebdomate tertio medio) notabilis, magna abdominis tympanites, praesertim tertio hebdomate, lingua sicca, magnis crustis obtecta, lienis tumor permagnus. Mali ominis: Aphonia atque Dyspnoë sub finem morbi visa.

Decubiti et depositorum secundariorum magnum periculum. Prognosis non fausta atque eo minus (fausta), quo plures sequuntur exsudationes, pessima perforationis (factae) Prognosis, sicut Typhi omnino, in homine Syphilitico reperti.

Prognosis denique peior aegrotorum locis, bono aëris perflatu egentibus, versantium, aut ita cum aliis congregatorum, ut miasmati procreando faveatur, peior eorum, qui bona egent curatione.

Affectus, animum magnopere deprimentes, saepe exitum praeparant lethalem.

Ea praeterea hic de temperatura mutationibus dicenda.

Ubi primordii incrementum per quinque dies durat, „remissio decidiva" non ante diem decimum et septimum videri solet.

Ubi Roseola, pulsus dicrotus, defaecationes Typhosae seriore tempore (ac) norma inveniuntur, stadium acmes plerumque ad vicesimum et quartum diem protrahitur.

Quum secunda hebdomatis primi parte temperaturae in-

1) Mali ominis est pulsus, repente ante diem 14 rarus, dum alia non cessant symptomata.

crementum duobus perspectionibus, sese sequentibus, magnam praebeat remissionem, sperare possumus, fore, ut, febris serior haud gravis sit.

Mali est ominis pulsus frequentia ultra „incrementum primordiale" semper crescens.

Si remissio matutina plerisque „acmes stadio" diebus non maior est gradu dimidio, semper Typhus (est) gravis, ac complicationes, eum sequentes, (Catarrhus bronchialis, Pneumonia etc.) suspiciantur, oportet.

Melioris sunt ominis: magnae temperaturae vespertinae, quas magnae sequuntur remissiones matutinae, peioris: minores temperaturae vespertinae, quas parvae vel nullae remissiones sequuntur matutinae. Collapsus post celerem totius corporis refrigerationem visus, minus est periculosus, ac collapsus, quo praesente, trunci temperatura ultra normam manet aucta.

Nuperrime a Dr. Schmieder [1]) commentatio est scripta, qua morbi tempus Typhorum, quorum lethalis erat exitus, ad calculum vocare conatus est, ad quod perficiendum, comparationem 286 hominum, partim Lipsiae, partim aliis clinicis institutis (apud Louis, Chomel, Vierordt, Frey, Herrich et Poppe), qui Typho succubuere, fecit, qua comparatione ea ferme constituenda censuit:

1. Rarissimus Typhi lethalis exitus sub primi hebdomatis finem (inter 286 tantum 2).

2. Ab hebdomate secundo incipiente ad finitum quartum omnium exituum lethalium $^3/_4$ (inter 286: 216).

3. A quarto ad septimum hebdoma exituum numerus ita diminuitur, ut in hebdomata sit bipartitus. (Inter 206 mortui sunt 49 quarto, 23 quinto, 11 sexto, 5 septimo hebdomate.)

4. Inter octavum atque duodecimum hebdoma circiter $^1/_{20}$ omnium mortuorum inveniuntur (inter 206: 10).

1) Archiv für physiologische Heilkunde von Vierordt. Pag. 304 etc.

5. Secundo, quarto, tertio hebdomate, exituum lethalium numerus fere idem remanet (inter 206 secundo hebdomate 55, tertio 51, quarto 49.)

6. Qui nnmerus fere idem (remanet) quoque dimidiato tertio, quarto, quinto hebdomate.

7. Typhus Abdominalis, cuius exitus est lethalis, ad diem vicesimum tertium extrahi solet. Medium arithmeticum lethalis-diei in 155 Typhis erat 23,26.

8. Typhus cum lethali inter octavum et vicesimum-octavum diem exitu 18 (per) dies durare solet.

9. Singulis secundi et tertii hebdomatis diebus lethalium exituum numerus idem fere est, ita ut per haec hebdomata nulli dies praecipue perniciosi inveniantur.

10. Dies autem morbi vicesimus quintus permultam praebet aegrotorum mortem, (inter 155 : 13 hoc die sunt mortui.)

11. Typhi cum lethali exitu minore tempore apud mulieres, quam apud viros mors. (Medium arithmeticum dierum lethalium apud mulieres 21,14, apud viros 23,86.)

12. Typhi ante quintum hebdoma finiti ita sese gerere solent, ut aegroti inter vicesimum quartum et quindecimum aetatis annum eo prius corrumpantur, quo iuniores sint, diutissime aegroti inter 24 et 28 aetatis annum morbo resistant, homines ultra 28 aetatis annum celerrime iam (a) Typho morti tradantur.

13. Quo prius aegrotus lectui se dare coactus est, eo prior plerumque exitus (est) lethalis.

Therapia.

Nullus fere — excepta Cholera — est morbus, cuius Therapia, temporibus praetereuntibus, magis esset mutata ac varia, quum omnes recentes de morbo theorias novae consequentiae therapeuticae sequi solerent, ita ut mirum videri oporteret, quod in modis, et cognoscendi, et curandi adeo variis eventuum bonorum et malorum fere idem esset numerus.

Cuius rei causa requisitioni integrae atque accuratae non diu occulta manebit.

Est enim processus Typhosi proprium, cyclicum quendam decursum percurrendi, cui, semel exorto, certae mutationes, certa etiam stadia necesse pervagandae sunt; organismus affectus autem, per omnem hunc decursum resistentia apta praeditus, servatur, hac deficiente, perditur.

Omnia remedia atque curandi methodi illam solam resistendi facultatem adiuvare atque singulos Typhosi processus in singula organa aggressus (versos) moderari atque ipsum processum certis viis coercere poterunt.

Quem processum ipsum iugulare non licet, nec alia ac rationali exspectante curandi methodo medicus uti debet. Processum, qui cohiberi nullo modo potest, iugulare nolens, exspectabit (medicus), num quid in usum facultatis resistendi corruentis, aut ad avertendas complicationes periculosas, organismo exitum minantes, arte praestare possit.

Non mirandae sane partim laudationes nimiae multorum remediorum, (recta) contrariorum, eorum fama saepenumero tantum ephemera, methodorum vicissitudo, favor, quem meliores medici semper methodo illi exspectanti, systematibus tot mutatis, servaverunt.

Num quando remedium, Typho specificum, sicut Intermittenti Chinium reperiatur, non dici potest, nunc certe

tali remedio egemus; medicationem autem nimis sedulam saepenumero eventui bono obesse, multa iam exempla docuerunt.

Typhi prophylaxis eaedem, qualis aliorum morborum epidemicorum communes regulae; specialium nonnullarum (regularum) optime Richter[1]) mentionem fecit.

Pro primo quaesitum est, num processus Typhosus omnino possit iugulari, ad quod perficiendum nonnulla sunt proposita; — sin autem morbum re (vera) putamus processum mucosae intestinalis exanthematicum atque Exanthematibus cutis acutis similem, iam ex analogia, cyclum morbi interrumpi non posse, existimare debemus, etsi, eum retardari ac moderari, liceat.

Nonnulli existimaverunt, emetico iusto tempore dando, Typhum posse iugulari atque se, quod voluerant nactos esse, praedicaverunt; alii, et ii summae in Medicina auctoritatis viri (Schoenlein, Hasse) emeticum, Typhi primordiis datum non solum non utile, sed nocens etiam docuerunt (esse); quia statim post emeticum datum symptomata acriora peiorisque omnis, in primis magnum corporis totius collapsum viderunt, quod mehercle non mirum videtur, quum emetico, mucosam irritante, facile maior in intestino exanthematica eruptio fieri soleat, sic ut (in) Variola iis locis, qui sinapismis erant obtecti, magnam videmus exanthematis eruptionem.

1) Indem man für bessere Wohnungen, Kleidungen, Nahrungsmittel und Getränke sorgt, die Ursachen schädlicher Luftverderbnisse entfernt und die Gemüther beruhigt. In den Spitälern lege man die Typhuskranken einzeln zwischen Tuberkulöse und andere gegen Typhus mehr oder weniger Geschützte. — Der Einzelne enthalte sich zu solchen Zeiten der Abführ- und Brechmittel, der Magenverderbnisse, der gröberen Ausschweifungen jeder Art, der Erkältungen und des Aufenthalts in dumpfigen, übel gelüfteten oder mit Menschen überfüllten Localen. Furchtsame mögen sich geradezu in freigebliebene Gegenden, besonders wo Land- und Berg-Luft herrscht, flüchten. (Richter.)

Ne gastricis quidem symptomatibus primo Typhi stadio repertis, quorum non sordes, sed mucosae irritatio est causa, remedium vomitivum excusari potest, quod tum demum est indicatum, quum, indigestione antecedente, alimenta nocentia eodem removeri possint, aut, quum diagnosis, Catarrho Intestinali regnante, adhuc sit dubia, — utrum Catarrhus, an Typhus —; nec equidem, illos morbos, quos nonnulli uno emetico iugulatos celebraverunt, non tam Typhos, quum Catarrhos Intestinales fuisse, dubitem. Nullo tamen modo emeticum sit compositum ex Tartaro Stibiato, sed e Pulvere radicis Ipecacuanhae.

Altera iugulandi morbi methodus in applicandis magnis dosibus Calomelantis (℈β—℈I) continetur.

Quod remedium a primo „Lesser“ magnis dosibus contra Enteritidem datam, omnium in se medicorum oculos convertit, et, postquam Scheerer et Roesch multorum Typhorum curandorum experientia remedium illud haudquaquam inutile demonstraverunt, saepissime medici eo uti solent.

Calomelas processum morbi Typhosum non iugulare, (quia omnino non iugulatur), status gastricos febriles autem ac praesertim, Genio epidemico Typhoso regnante, (ab) eo iugulari, iam Canstatt putavit.

Calomelante porro iusto temporc ac modo dando plerumque decursum Typhi temperari, sive secretione bilis incitanda ventrem producto-morbi in eo posito exoneret, sive resorbendo producto illo in Glandulis Peyerianis et textu infra illas iacente posito, ulcerum formationem impediat: Canstatt, Schönlein, Traube sunt auctores, quorum ultimus, se interdum statim, ubi Calomelante sit usus, res in melius versas vidisse, quum non solum febrilia, sed nervosa etiam symptomata, faecibus satis copiosis, viridibus, pulticulae similibus (apparentibus), in minimum fuerint reducta, dicit. Calomelantis magnis dosibus Schoenlein non solum prima, sed secunda etiam septem dierum periodo incipiente, nisi magno-

pere defaecationes sint auctae, utitur, tum demum prognosin, quoad Calomelantis applicationem malam existimans, quum antea remedia drastica sint dâta.

Contra quae Hasse: se tam magnis Calomelantis dosibus adhibendis celerem quidem diarrhoeam atque vomitum, nunquam tamen morbi symptomata temperata vidisse, dicit.

Aliorum quoque Mercurialium nuper laudatorum:

Aethiopis mineralis — a Serres — una cum inunctionibus unguenti Cinerei, Praecipitati rubri — a Galette commendati — mentionem faciam oportet.

Commemoranda quoque illa methodus Typhi sanandi specifica, a Delaroque constituta, qui, primo emetico dato, quotidianum vitrum, aquae Sedlitzianae plenum, tum Clysmata purgantia cum Natro sulphurico, potiones refrigerantes, Sinapismos ad pedes commendat, virium defectioni, post finitam febrim, remanenti: Tonicis (Chinâ, Vino, alimentis roborantibus) occurrit. Ad iugulandum Typhum notas illas venaesectiones, brevi spatio semet sequentes, Bouillaud commendavit, illa Broussaica theoria fisus, qua Typhus nihil est aliud, ac simplex Enteritis, quae theoria sanguinolenta—et fere dicam scelerata, — quid enim pro deum fidem ineptius excogitari potest, quam aegrotos, morbo ipso summopere debilitatos et capulo-vicinos, sanguine ad vitam sustentandam utilissimo privare? — nunc fere est deserta, (in) qua porro adhibenda methodo non tam, tertiam omnium aegrotorum partem victimam esse caesam, quam omnino plures aegrotos mortem effugisse, mirum videtur!

Medicorum illorum actuosissimorum ac febrili quadam sedulitate correptorum adversarii inveniuntur multi, qui, ne Scyllae fiant obviam, incidunt in Charybdim, dicentes, praeter regimen quoddam diaeteticum, ne minimum quidem esse faciendum, quod certe paullulum contra religionem actum videtur.

Multi et ii optimi medici, mediocritatem tenentes aure-

am, eclecticos (viros) sese gerunt, omnibus medendi methodis turbulentis despretis.

Aegrotorum ante omnia curam aptam esse adhibendam, nemo negabit.

Quam celerrime aegrotus lectui se det, lectus sit positus in loco also, absit omnis tumultus, omnes inutiles atque superfluae agitationes.

Ad medium secundum hebdoma alsior curandi ratio teneatur, quae postea calidiori cedat.

Munditus quam maxuma ac lectus aequabilis adsit. Magna siti, aegrotum paullum aquae frigidae potare, licebit. Medio secundo hebdomate paullulum lactis detur ac ius quam maxume insalsum et capidum.

Saepenumero Typhi primordiis nulla singularium remediorum indicatio (est.)

Attamen Decoctum Althaeae, Mucilaginem Gummi Arabici, Decoct. Salep, Decoctum Seminum Cydoniorum dare licebit, non tam, quia re (vera) aegrotis sit usui, quam ut habeant aliquid, neque se a medico neglectos putent.

Febri, hac prima morbi periodo plerumque erethicae obviam est eundum sola alsa curandi ratione (aqua, cum succo Citri, Syrupo Rubii Idaei commixta) atque regimine antiphlogistico. Chlorum [1]) contra sanguinis dyscrasiam a multis (Scharlau, Lietzau, Canstatt) summopere commendatum, quia, Hydrogenii propinquum, Oxygenium solveret et ita corpori humano sit usui — Hasse vituperat, quum dicat: Chlorum nihil aliud efficere, quam quo aegrotis quilibet potus invisus fieret.

Commendandae lavationes totius corporis cum Acido Acetico diluto aut Aceto vini per totum morbi spatium, aegrotum summopere refrigerantes.

Eruptionis tempore symptomata interdiu cerebri vehe-

1) Aq. chlorat. ℥III—VI p. die.

menter irritati: facies rubefacta, coniunctiva sanguine repleta, carotidum pulsatio, deliria, quae omnia, quamdiu nondum sunt nimia, derivatione ad peripheriam: cataplasmatibus ad pedes, pedibus in lintea Aceti calidi plena involvendis, interdum fortassis alsis Clysmatibus ex Aceto vini; dum fiunt vehementiora, tribus aut sex hirudinibus ad caput, fomentis frigidis coërcenda videntur,

Quo stadio symptomata quoque irritati abdominis fortiora prodeunt, partim eruptione in intestinali mucosa tumultuaria, partim mucosae irritatione in Peritonaeum progressa, aut glandulis Meseraicis simile affectu correptis.

Tum aegrotorum dolorum abdominalium querelae, tum magna regionis Ileocoecalis sensibilitas, quod utrumque paucis hirudinibus ad regionem Ileocoecalem vel Inguinalem (admovendis), fomentationibus emollientibus, narcoticis, unguento Cinereo inunguendo in minorem gradum plerumque redigitur.

Nunc stádii nervosi curatio, illius periodi, qua, producto Typhoso emollito, reiecto, ulceratio fit in tractu intestinali, qua porro dyscrasia sanguinis atque intoxicatio illa organorum centralium narcotico-Typhosa ad maximum est provecta.

Summopere atque nunquam satis hac periodo commendanda curatio rationalis-symptomatica, optimis eventibus sustentata. Pateant cubiculi fenestrae, ut aër perpetuo renovetur, summa adsit mundities, lintea singulis diebus interdum bis mutentur, nunquam potus absit sufficiens (aegroti siti). Caveat (sibi) medicus ab omne vehemente curandi methodo. Antiseptica alia, praeter Chlorum, iam eommemoratum: Aqua oxymuriatica, Acidum phosphoricum, sulphuricum, oxymuriaticum - debitum, quae partim recta (via) dyscrasiae Typhosae adversaria, partim putrescentiae omnino obviam euntia habentur, aeque ab Hasse non probantur.

Ita indicatione tamquam commune totius morbi perspecta, iam ad singula systemata organica magna vertamur.

Prima componenda videntur symptomata intestinalia. Nulla adsit obstipatio, nulla profusa diarrhoea, in quo autem utroque curando leni medicandi methodo opus est. Obstipatione praesente, damus clysmata, Acetum atque Sal culinare continentia, quod si effectum non praebet, Calomelas et adultis quidem Calomelantis gr. I—II, infantibus gr. $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$ pro dosi, repetatur dosis intra paucas horas, si tum etiam defaecatio sequitur parva vel nulla.

Magnesia sulfurica atque Aqua Sedlitziana non tam Typhi primordiis, quam hebdomate tertio sunt commendandae.

Quum eruptio in intestini mucosa sit posita, nec retroverti, nec, quin mutationes emollitionis, deiecti onis, ulcerationis perficiat, impediri potest; aegrotum a diarrhoea plane liberare non possumus, quae intestinalis mucosae alteratione prolata est, nec, nisi fit colliquescens (diarrhoea), eam reprimere et ita vires debilitatas adiuvare audeamus. Quem ad finem pauca habemus remedia, quibus omnino niti deceat.

Opium, multa Adstringentia, Tonica inutilia sunt despernenda, quorum Opium, primordiis morbi nocens, saepe tertio etiam hebdomate nondum est commendandum.

Remedia alvum adstringentia pleraque sunt evitanda.

Ordinetur magna aegrotorum ac sedula curatio, Decoctum Hordei vel Avenae, cataplasmata, panni adipe inuncti, aut lintea calida super abdomen (tegenda), magna corporis et animi quies. Tonicorum vel Adstringentium praevalentia remedia habentur: Argentum nitricum, Plumbum aceticum, Alumen ustum, quorum trium optimum, Argentum nitricum et solutione damus et Clysmatibus, quae ordinandi ratio est melior, auctore Schoenlein. Clysmata unciarum trium, aut quinque aegroto inferantur tubulo elastico in superius rectum pertinente, quo diutius ea apud sese teneat. Dentur pilulae aut solutiones Argenti nitrici (et) simul Clysmata[1]). Vehe-

1) Pilulae Argent. nitr. ad gr. β continentes; sicut gr. I—II. p. die dentur.

mentes secundi hebdomatis diarrhoeae Argento nitrico atque Alumine[1]) aut Plumbo acetico, tum solutione (ad gr.III—IV), admixto Decocto Amyli, tum in substantia (gr. II p. dosi), sedentur.

Quae omnia tertio quoque hebdomate sunt usui, quo tamen interdum Opiata inprimis Morphium muriaticum (ad gr. $^1/_{12}$ p. dosi) dare licebit.

Extractis amaris ad deprimendam diarrhoeam a prioribus medicis novisque nonnullis valde commendatis, non tam primo ac secundo, quum tertio hebdomate, quum, magna aegroti debilitate, diarrhoea nondum cesserit, uti, decebit.

Nonnulli docuerunt, vexans illud adeoque periculosum symptoma: „Meteorismum,“ fomentis e Terebinthina, vel frigidis esse oppugnandum. Mea opinione magis idonea: Clysmata ex Infuso Chamomillae vel Valerianae cum Aceto, aut ex aqua Calcis, qua etiam per os uti, licet, optime denique pilulae ex Argento nitrico. Sunt, qui, ingente Tympanite exorta, gasa per tenuem „s. d. Troikart“ evacuanda esse censuerunt, quod certe vituperandum.

Inveniuntur — ut iam supra demonstratum est — Typhi, diarrhoeam nullam per totum morbi tempus et obstipationem etiam praebentes, quae obstipatio non diutius horis viginti quattuor sinenda est, ac tum defaecationem normalem proferre, medicum oportet, quam tamen nunquam remediis drasticis, ne diarrhoea ingruat perniciosa, sed delenientibus, ex-

℞ Arg. nitr. crystallis. gr. IV.
Aq. destill. ℥II.
M. D. S.

1) ℞ Alumin. ust. gr. X.
Aq. destill. } ℥VI.
seu
Mucil. Cydon.
M. D. S.

empli gratia: Oleo Rizini, Calomelante in refracta dosi, Clysmatibus emollientibns efficiat.

Haemorrhagiis, colliquescentiam et collapsum imminentibus obviam fiat, oportet frigidis remediis: Solutione Schmucceri, fomentis e glacie ad caput rasum, obturamentis, solutionis Aluminis, Aquae vulnerariae Thedeni, Aquae frigidae plenis, (in naribus imponendis), haemorrhagiae intestinales Alumine[1]) (non ita vehementes ad ℈II), (graviores ad ʒI—II), Clysmate cum Alumine, — cataplasmatibus et clysmate ex Aqua frigida sedentur.

Interdum perforatio, pessimi scilicet ominis, omnem boni eventus spem perdere solet, nam, etsi, auctore Stokes, perforatio intestini sanari interdiu possit, quum, intestini perforata parte in pelvim relapsa, peritonitis fiat exsudativa, unde locus perforationis cum alia intestinorum parte collini possit, atque ita sanandae perforationis facultas sit data, nunquam tamen fere sanatam vidimus perforationem Typhosam.

Tertia septem dierum periodo, qua perforatio solet perspici, caveat medicus, ne incaute abdomen manibus adtingat, caveat (sibi) a remediis laxantibus fortioribus, meteorismum magnum, consuetam perforationis causam, remediis, supra demonstratis, coerceat.

Ubi tamen perforatio est facta aegrotus immotam in dorso positionem servare iubeatur, ne intestini partes locis moveantur, motus peristaltici magnis Opii dosibus[2]) sunt impediendi, parcus tantum potus ad restinguendam sitim, despretis omnibus cibis, est praebendus.

Fomenta e glacie, sive Cataplasmata adiposa ad abdomen.

1) ℞ Alum. ust. ℈I—ʒI.
Mucil. Gi. arab. ℥VI.
M. D. S.

2) Morphii muriat. gr. $^{1}/_{4}$, sive Opii pur. pulv. gr. II p. dosi omni tertia hora.

Quae tamen omnia nunquam fere exitum lethalem repellere possunt.

Adeo de symptomatibus abdominalibus curandis; symptomatum bronchialium curandorum modus nunc perspiciatur. Catharrho Typhoso minoris momenti, sic ut affectioni intestinali minori nulla singulare curatione opus est, quum autem affectus bronchialis fiat maior, pituita tenace in bro nchi haerente, expectoratio aegroti est adiuvandas.

Medicationum, ad id perficiendum, magnus est numerus. Dabantur: Linimentum volatile Ammoniacatum, vel Terebinthinatum, in pectus inunguendum, sinapismi, vesicantia, parvae Liquoris Ammonii Anisati doses. Commendata a Neumann Asa Foetida in emulsione ad ℈IV pro die, simul cum frictionibus endermaticis et derivantibus, atque ad expectorationem postea adiuvandam: Stibium sulfurato-aurantiacum, Squilla, Senega.

Antiphlogosi pura propter magnam virium defectionem uti non decebit. Commendanda Ipecacuanha (Infus. Ipecac. (e ℈I—ʒβ) ℥VI). Vomitu effecto, indicatio repleta est, quum respirationem plerumque videamus meliorem. Tum Ipecacuanha diutius in refracta dosi est dan da.

Obstipationem non esse sinendam, iam ante demonstravi. Remedia, Rhonchis magnis apparentibus, commendata:

Liquoris Ammonii anisati ℈I,	aut	Spiritus Mindereri ℈I.
cum		cum
Mucilaginis — ℥VI	„	Mucilaginis — ℥VI

Hasse non probavit, qui

Vini Stibiati ʒI,	aut	Vini stibiati gutt. VI
cum		pro dosi.
Decocti Altheae ℥VI		

dare solet.

Cucurbitae siccae ad utrumque latus alternantes applicatae, saepe sunt usui, nec minus interdum sinapismi.

Quando Pneumonia est aperta, cucurbitis, hirudinibus,

Ipecacuanha uti decebit, praesertim, quia tum parva diarrhoea haud displicet. Contra Pneumoniam, seriore tempoe notatam, parvae Morphii doses cum Plumbo acetico commixtae dentur, innunctiones porro adiposae, Cataplâsmata, Pulvis Doveri.

Iam ad symptomata febrilia et nervosa curanda venimus. Commendatus contra haecce apparatus antiphlogisticus, aut methodus hydrotherapeutica illa, (nostris temporibus contra omnia fere mala, mortalibus nota, commendata), quae ad secundum morbi hebdoma interdum est usui.

Aptum hoc loco videtur, dicere de illa frigoris adhibendi ratione, a Riegler [1]) publicata, qui tales ferme frigoris adhibendi regulas constituit:

Sit cubiculi temperatura hieme inter 6 et 9° R., aestate fenestrae mane, vespere, nocte sint apertae, tum, quum calor augeatur, claudantur foriculae.

Aqua fontana pura sit potui, omnibus abstineatur medicamentis. Maior Temperaturae calor frigida aqua, per siphonem eiaculânda, diminuatur.

Riegler interdum frigidis corporis involutionibus est usus.

Neque solae involutiones, semibalnea, frictiones, aquae perfusiones aegrotorum corporibus apparabantur, sed etiam doloribus Ileocoecalibus, diarrhoeis, Meteorismo, haemorrhagiis intestinalibus fomentationibus abdominis frigidis atque Clysmatibus ex Aqua frigida, obviam esse faciendum, putaverunt.

Remedium optimum, et magnarum febrilium, et nervosarum agitationum, balnea esse tepida, quibus Hasse uti solet, equidem putare aspectu coactus sum, quae quoad calorem aegroti instinctui adaptata, maximam saepe inquietem miro quodam modo sedant, quae porro omni morbi periodo, et alsiora quidem primo, calidiora secundo morbi tempore applicari possunt, quibus, quum magna sit virium defectio, Acetum vini, aut Species aromaticas admiscere, decebit. Frigidas aut tepidas

1) Vide Canstatt, Suppl. ed. Henoch. Pag. 182.

aquae perfusiones (Schoenlein) in caput aegroti, in balneo calido ad umbilicum usque sedentis, magno fuisse usui, multis exemplis demonstratum est, quibus applicandis mox calorem mordacem videmus diminutam, pulsum minus frequentem, lenem transpirationem ac somnum.

Quae tamen omnia, quum aegrotus obstrepat, sunt evitanda, ne nimia curandi sedulitate inflammati, aegrotum torquentes, malum maius, quam antea erat, fecisse videamur.

Magna cerebri hyperaemia praesente, quum magnum aegrotus queratur capitis dolorem, utilissimam videmus moderatam antiphlogosim tribus, vel sex hirudinibus ad caput aut tempora applicandis, dolores, serius redeuntes, saepe pedibus in lintea Aceti vini plena involutis, aut cataplasmatibus (ad pedes) sedantur.

Nonnulli magno sopore vesicantia ad nucham commendaverant, dicentes, tali modo processum-morbi a cerebro derivari debere.

Tale consilium non utile, sed periculosum magis habendum est, nihil enim exstat, quod derivandum sit, facile autem ulcera et gangraena vesicatoriis procreantur, quam ob rem Louis iure methodum illam derivandi ineptam atque sceleratam appellavit. Contra nervosa symptomata: stuporem, magnam virium defectionem etc. a multis commendantur Roborantia (remedïa), Stimulantia, Nervina, in quibus veteres medici unicam medicandi salutem, sacram illam anchoram, ponere solebant [1])

1) Haud ineptum videbitur, hoc loco nonnulla dicere de methodo medicandi a Hufeland data, quem prioris Therapiae magistrum contemplari licet, qui (medicus) ad iugulandum Typhum emeticum commendat (ex Sal. Ammon., Tart. tartaris., Tart. emet.). Quum autem morbus ipse appareat, fomenta frigida, clysmata cum Aceti vini ℥III—IV, Calomel. gr. I—II binis horis. Opium purum interdum tamen: Opii pur. gr. $^1/_4$ binis horis (Ultima ratio.)

Calomelan. gr. I.

Sach.alb. ℈β.

Dabantur Excitantia omnis generis, quorum efficacitas non apparet, ne Thea quidem, Coffea, Vinum saepenumero usui aegroto fuisse videntur.

Quae quum ita se habeant, nullum tamen medicum vituperemus, qui, aegroti in horas maiorem collapsum, et eum ipsum denique, artus commovendi impotentem ad inferiorem lectus partem decidentem aspiciens, anxietate atque auxiliandi cupiditate commotus, ad Stimulantia se vertat, quorum optimum ac laude dignissimum videtur vinum [1]) (Vinum Madeiranum, Malacense) ad Cochlear minus dandum.

Si Moschus, a multis infinitis laudibus celebratus, nunc nos deserit, quod saepius certe facere solet, inprimis adhuc balneis calidis cum Infuso Aromatico commixtis confidere debemus ac frigori ad caput applicando, summae quieti, accu-

Tum Excitantia ab eo laudantur (Angelica, Arnica, Valeriana, Ol. aeth. Cajeput, Cinnamom, Balsamica, Naphthae, Camphora, Moschus, Castoreum p. p.); Balnea cum Infuso aromatico, Sinapismi, Vesicantia, dum status apparet paraplegicus aut magni collapsus: Vinum, Alkoholica, Phosphorus, Unguenta irritantia. (Ung. e Doct. Mezer., Ung. Autenrieth etc.) Receptorum duorum, ab ipso datorum, hae (sunt)formulae:

℞ Rad. Valerian. ℥β
Digere c. Aq. ferv, in vas. b. claus,
Colat. ℥VIII.
Liq. Ammon. acet. ʒI
Spir. sulph. aeth. ℈I
Syr. commun. ℥β.
M. D. S. ad cochlear binis horis.
(dandum.)

℞ Ol. Cinnamom.
Extr. Myrrhae
Bals. vitae
Aeth. sulph.
Laudan. Liq. Sydh. $\overline{an.}$ ℈II.
M. D. S. ad guttas XXX binis horis.

1) Vini largioris dandi indicationes ex cordis impulsu sumsit Stokes, tum idem esse ordinandum existimans, quum cordis impulsus fiat debilis, pulsus mollis, dicrotus, inanis.

Vinum esse reponendum, quum eo dando videamus pulsum frequentiorem, linguam siccam, respirationem acceleratam, fauces rubefactas, maiorem stuporem aut aucta deliria, derma siccum, iam ex ipso constat.

ratissimae aegrotorum curationi, omnibus irritationibus externis remotis.

Quaeritur nunc, quid sit faciendum contra illum decubitum periculosum ac capitalem saepe, qui potius impediri, quam, ubi semel est positus, sanari potest.

Quem decubitum, quum impedire volumus, caveamus, ne plicae fiant lodicis, ne miculae in lectu inveniantur, ne in faecibus suis, ubi, sui non compos, in lectum se defaecavit, iaciens, maneat aegrotus.

Toral saepe est mutandum, pellis capreae substernenda (sub aegroti dorsum), aut ipse, si fieri potest, in lectu hydrostatico Arnottiano ponendus.

Visitetur aegrotus quoque die, atque ubi primi loci rubri in dorso sunt visi, statim vino frumento expresso, Aceto Camphorato, Aqua Goulardi, succo Citri laventur, sebo Cervino inunguantur, mollibus linteis aquae frigidae plenis tegantur.

Penicillo lanae ovinae eos obtegere, ut nonnulli commendaverunt, non tam utile videtur.

Quum parvae crustae perspiciantur, tegantur (compressis) linteolis, aquae Goulardi plenis, aut Cataplasmatibns e Farina seminis Lini, aut caute tollantur forcipe[1]) et forfice. Crustis reiectis, ulcus obtegatur Unguento Tannico, Balsamo Peruviano, Cataplasmatibus emollientibus aut linteis carptis, Aceti Aromatici plenis, quod cum aqua communi commixtum est. Seriore tempore nlcus ita obligetur, ut lintea carpta in eo sint posita solutionis Aluminis vel Argenti nitrici plena, supra quae expandeatur Cataplasma. Tum, aegroti dorso in pulvinare, aëre repleto, prostrato, linteola in lateribus ponantur.

Contra Granulationes chronicas diu interdum remanentes Erdmann solutionem Cupri sulfurici commendat.

De illis, quae in regimine diaetetico sunt maximi momenti, iam supra paucis verbis dictum est.

1) Pincette.

Repetam igitur tantum, caveat medicus, ne abstinentia nimis protracta vis organica deleatur, neve libidinibus (edendi), saepe iam secundo medio hebdomate praesentibus, nimis cedatur.

Tertio etiam hebdomate caveat medicus, ne aegroto, cibis, quos apparatus digestivus, morbo confectus, nondum concoquere potest, concedendis, novam provocet exacerbationem morbi, iam ferme finiti visi.

Organa digestiva ipsa interdum adeo sunt labefacta, ut aegrotus, omni ciborum appetentia egens, nutritionem per os detrectet. Tum aliae excogitandae rationes, quibus nutrimentorum satis magna copia corpori debilitato subvehatur, ad quod perficiendum duae patent viae: altera endermatica, per rectum altera.

Balnea ex iure carnis cum vino commixta aut e decocto hordei tosti, cui adiunguntur crura vel viscera vitulina, sunt ordinanda, quibus aegrotus per duas aut tres horas versetur, aut clysmata nutrientia (non magis ac ℥IV—V continentia, ut aegrotus eadem possit tenere secum) e iure carnis, lacte cum ovorum vitellis, quibus Laudani nonnullas guttas addere licet.

Saepenumero tertia hac septem-dierum periodo Chinam atque eius Alcaloidea in primis Cinchonium in mediocribus dosibus dare decebit (medicum), quibus vires confectae interdum valde adiuvantur.

Regimine ac potu calidiore sub morbi finem aegroto opus esse (interdum iam a medio secundo hebdomate), iam ante demonstratum est.

Convalescentiae tempore eo accuratius aegrotus est custodiendus, quo saepius ciborum appetentia tum in voracitatem quandam degeneret, dum indigestio hoc tempore pessimarum rerum: retardatarum ulcerum cicatricum, Diarrhoeae vehementis, perforationis etiam causa potest esse. Evitet igitur aegrotus paullulum adhuc omnia, quae non facile conco-

quuntur, quae flatulentiam proferre solent, omnia denique Acida.

Pluries potius per diem cibum sumat parvum, quam semel ventriculum magna oneret ciborum copia. Commendandum lac atque gratum, cum carnis iure concoctum.

Paullatim ad cibum solidiorem consumendum transeat aegrotus: panem e tritico duriorem, vinum ad cochlear maius, vitellum ovi, carnem vituli, gallinae, columbae, postea demum carnem bovinum, olera, poma cocta.

Quod regimen diaeteticum, China interdum danda, adiuvâre mehercle licebit.

Irritatio et nervosa, et febrilis, convalescentiae tempore interdum notabilis, facile Laudano cedere solet.

Caveat medicus summopere, ne ante tempus aegrotus lectu surgat atque extra domum aëri se det, saepe enim in aegrotis, cautelis, antea commemoratis, omissis, novum videmus morbi impetum, nec tum rarum lethalem exitum.

Defaecationum regularium, nunc, sicut ultima ipsius morbi periodo diligentiam esse adhibendam, iam satis constat, neque sinendam (esse) obstipationem quadraginta-octo horarum spatium excedentem, quod si fit, motus intestinalis peristalticus est adiuvandus non tamen remediis purgantibus dandis — ineptum sane, quia iis ipsis ulceratio in intestinali, mucosa secundaria incitatur atque perforatio etiam creatur, — sed aperientibus solis ac delenientibus Clysmatibus.

Convalescentiae regimine tali modo perpenso, ad affectus secundarios, Typhum saepenumero sequi solitos, curandos transeam.

Pro primo affectus saepe intestini secundarius animadvertitur, malae scilicet notae, quia in organismum, priore morbi impetu valde turbatum, incidit, roseola interdum atque diarrhoea denuo apparentibus, quem emollitio sequitur haud rara.

Remedia tum summopere commendanda: Argentum nitricum, Alumen, Plumbum aceticum.

Quum dolores abdominis, diarrhoeae, molecularem epithelii detritum continentes, duodecim et viginti-quattuor etiam intra viginti-quattor horarum spatium remanent cum febris magna vespertina exacerbatione, ulcera Typhosa in (ulcera) intestinalia lenta transiisse, est verisimile, contra quae Argentum nitricum optimum remedium applicandum videtur et illud Clysmatibus [1]) ac Pilulis (gr. $^1/_8$—$^1/_4$ pro dosi continentibus.)

Simul Decoctum Chinae videtur commendandum (P. Frank, Oppolzer.)

Unguentum Autenriethii inunguendum una cum Plumbo acetico ab Holscher, Unguentum Sublimati corrosivi a Duerr est commendatum.

Statui diphteritico Clysmatibus mucilaginosis cum Opio commixtis obviam ire, et, si obstipatio adest, Calomelante uti, decebit.

Nec non absit vinum rubrum saepius ad cochlear dandum.

Localisationis quoque Typhosae in Larynge ratio habeatur therapeutica, contra quam Unguentum Cinereum cum Opio inunguendum aut, magnis doloribus, hirudines et Vesicantia (?) ad utrumque Laryngis latus sunt ordinenda.

Anginae Typhosae eadem curatio, quae gangraenosae.[2])

Parotites nunc memorandae, quae variis epidemiis, vario modo sunt curatae, quum altera (epidemia) adhiberentur venaesectiones, unguentum Cinereum inunguendum, altera pulvinaribus ex herbis Aromaticis, Cataplasmatibus e farina seminum Lini calidis atque, ubi glandulae fluctuatio est notabilis, pure per punctionen amovendo, tum calidis fomentationibus Therapia sit usa.

1) ℞ Argent. nitr. crystallis gr. I—II.
Mucilaginis — — ℥V—VI.
M. D. S.

2) Gargarismatibus, Acid. Oxymur. dilut., Argent. nitr., Alumen continentibus etc.

Cataplasmata simul cum Laudano atque regimine bono, diaphoretico ab Hasse probata.

Status denique quidam, Pyaemico similis, quem vehemens „frigus quassans“ indicare solet (quarto pleroque hebdomate) accuratissimam poscit medicationem.

Regimen ordinetur omnino diaphoreticum, potu calido, cataplasmatibus, Spiritu Mindereri ac inprimis Laudano ad cochlear parvum cum Infuso Theiforme diaphoretico, adhibendis. Laudani dosin post duodecim aut viginti quattuor horas semel atque bis repetere licet. Quando „depositi secundarii“ locus inveniri potest, hirudines et cataplasmata adhibeantur, rarissime venaesetio non ita magna.

Ubi exsudatio subcutanea apparuit, cataplasmatibus uti solemus.

Num omnino ac quomodo exsudatum, in cavis serosis positum, ex iis possit removeri, dubium!

Nonnulli paracentesim tum commendaverunt — periculosam sane medicationem.

Restat adhuc, ut paucis verbis mentionem faciam nonnullorum remediorum, quibus in Typho curando „specificis“ quidam medici sunt usi.

Postquam Blache et Broque Chinium sulfuricum magnis dosibus dandum specificum in curando Typho remedium praedicaverunt, a plurimis medicis illud adoptatum est atque innumerabilibus laudibus praeditum; nunc tamen, quia, non semper atque quoque Typhi periodo Chinium (aegrotis) usui esse, quin diarrhoeam etiam nonnullorum (aegrotorum) augere, apparet, a plerisque „specificum remedium“ est desertum.

Nec maiores Coniini [1]) paucis annis ante commendati, eventus.

Alii Unguentum Cinereum magnis dosibus (℥I—II) cor-

1) ℞ Coninii gutt. II—VI.
Aq. destill. ℥IV.
M. D. S. ad cochl. mai. dimid. pluries p. diem.

pori inunguendum, remedium specificum, praedicaverunt, dicentes: Salivationem servati semper aegroti signum visam esse. Quae tamen tria arcana medicorum optimorum nostri temporis experientia non probata videntur, nec quoque Kali hydroiodicum a Sauer, Nux Vomica a Schlesier (gr. $^{1}/_{16}$ quater per diem) remedia specifica, celebrata.

Quibus omnibus remediis perspiciendis, nullum contra Typhum remedium specificum hisce certe temporibus nobis notum esse, videmus.


Summopere igitur medico suadendum est, ut (in) Typhis simplicibus et, ut ita dicam normalibus, medendi illo modo rationali-symptomatico atque exspectante utatur, atque, omissis omnibus periculosis vehementibusque remediis, dum symptomatibus solis nimis excedentibus est obviam, morbum intra terminos normales coercere periclitetur.

Pro quo medicandi genere commendando, summi in Medicina viri (Romberg, Hasse) sunt sponsores, eiusque eventus equidem, si de iuvenis imperitissimi experientia loqui licet — vidi faustissimos[1]).

1) Inter quinquaginta aegrotorum numerum sex soli sunt mortui.



Vita.



Natus sum **Alex. Andr. Henr. Carol. Frider. Eduardus Hagemann** pridie Non. August a MDCCCXXXIII Brombergii, Posnaniensis provinciae urbe, patro **Carolo,** matre **Amalia** de gente **Tschepius**; fidem profiteor evangelicam.

Artium et scientiarum liberalium cegnitione privatis institutionibus pro primo imbutus, ad tertiam Werderani Gymnasii Berolinensis classem transii, quod Gymnasium, ubi rite cursum perfeci, testimonium maturitatis mihi dedit, unde in universitatis litterariae Berolinensis civium numerum anno MDCCCLII receptus sum, Rectore Magnif. Ill. **Dieterici,** atque apud Decanum Facultatis medicae spectabilem Ill. **Jüngken** nomen professus sum.

Per totum studiorum tempus horum virorum Illustriss. Celeberr. Experientiss. scholas frequentavi:

Berolini:

J. Mueller de Anatomia humana, comparata, Physiologia, **E. Mitscherlich** de Chemia et Pharmacia, **Dove** de Physice, **Gabler** de Logice, **G. Mitscherlich** de Materia medica, **Langenbeck** de Chirurgia, **Schultz** de Encyclopaedia medica.

Cursu sectionum in theatro anatomico functus sum, rectoribus **Mueller** et **Schlemm.**

Heidelbergae:

Hasse de Pathologia et Therapia et de Anatomia pathologica, **Chelius** de Chirurgia et de Ophthalmiatrice, **Lange** de arte obstetricia, **Puchelt** de auscultatione et percussione, **Chelius** jun. de fasciis applicandis et de Akiurgia.

Scholas clinicas medicas, chirurgicas, obstetricias, cursum operationum et cursum exercitationum obstetriciarum adii **Hasse, Chelius, Chelius** jun., **Lange.**

Bonnae:

Treviranus de Botanice, **Troschel** de Zoologia, **Noeggerath** de Mineralogia, **van Calker** de psychologia, **Helmholtz** de physiologia.

Scholas clinicas frequentavi obstetricias, medicas, chirurgicas apud viros amplissimos, illustrissimos: **Kilian, Naumann, Busch.**

Quibus viris, optime de me meritis, gratias nunc ago quam maxumas, semperque habebo.

Theses.



1. *Prima Typhi Abdominalis sedes in sanguinis ac systematis lymphatici mutatione est ponenda.*

2. *Sola in sanando Typho methodus rationalis symptomatica est commendanda.*

3. *Syphilis temporibus iam antiquissimis inter homines pervagata est.*

4. *Omne animal legi necessitatis mechanicae subiectum est.*

5. *Methodus trepanationis praevertens omnino est repellendus.*

6. *Non solum in Dystociis sed Eutociis, sive diutius durantibus, sive vehementioribus ad partum doloribus complicatis, Chloroformio uti licet.*

7. *In pelvibus Osteomalacia cerea, stricte sic dicta, coarctatis, priusquam ad sectionem-caesaream eamus, forcipe uti decet.*
